

02 H 536





2. D. B. V. 60 4275 G.
DISSERTATIO IURIDICA

De

IVRE CATA-
RACTARVM,

Vom

Schleusen-Recht/

Quam

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DN.

FRIDERICO WILHELMO,
ELECTORATVS BRANDENB. HEREDE, &c. &c.
P R Æ S I D E

DN. IO. SAMVELE STRYKIO,
I. V. Doct. & Professore Publ. Ordinario
ac Facult. Iurid. Adfessore,

IN ALMA FRIDERICIANA,

D. 17. Octobris A. O. R. M DC XCVI.

Placidæ Eruditorum disquisitioni submittit.

FRIDERICVS CHRISTIAN. MICHAELIS

Itzehoa Holfatus.

HALÆ, typis CHRISTOPH. ANDR. ZEITLERI, Acad. Typogr.

Q. D. R. N.
DISSERTATIO JURIDICA

IN RE
CAUSA
RACONAVIENSIS



RECTORI MAGNIFICENTISSIMO
PRAESIDI NO. DOMINO
DNI

FRIDERICO WILHELMO

LECTORATI BRANDBURGENSIS HERED. & C.
P R A E S I D I

DNI IO. SAMUELIS STRYKIO

AVD. & Professore Publ. Ordinario
ac Facult. Jurid. Adlectore

IN ALMA FRIDERICIANA

D. M. OCTOBRIS A. R. M. DC. XCVI
Hinc inde Editionum distinctio imprimere

FRIDERICVS CHRISTIANVS MICHAELIS

typog. Hoffmann

typis CHRISTOPH. ANDR. ZETTLER, Acad. Typog.



Illustrissimis atq; Excellentissimis
Dominis

DN. EBERHARDO

Lib. Bar. de DANCKELMANN,

SERENISSIMI atq; POTENTISSIMI

ELECTORIS BRANDENBURGICI

**Ministro Status Primario, omniumque Consiliorum &
Collegiorum in Aula & prouinciis**

PRÆSIDI SUMMO,

Domino in Bresque & Wettin, &c.

&

DN. DANIELI LVDOL-

PHO Lib. Bar. de DANCKEL-

MANN,

SERENISSIMI atq; POTENTISSIMI

ELECTORIS BRANDENBURGICI

**Consiliario Status Intimo & Commissario belli Generali,
Domino in Zesen, &c.**

DOMINIS SVIS GRATIOSISSIMIS

S.



DN. ERBERHARD

Lib. Bar. de DANCKELMANN

SEBASTIANUS POTENTISSIMI

ELECTORIS BRANDENBURGICI

Ministro Senus Imperio, omniumque Consiliorum &


Collectorum in Aula & praeiudicis

PRÆSIDI SUMMO

Domino in Breslavia & Wettin, &c.

*

DN. DANIEL VON

 Ataractas hic pando, Mecenates,
Augustum Potentissimi Electoris
Brandenburgici opus, Vestro su-
sceptum consilio, & in orbis admiratio-
nem feliciter consummatum. Salanas no-
stras intelligo, quibus flumen, tot aqua-
rum impedimentis nauigationi resistenti-
bus remotis, in illum deduxit statum sapi-
entis-

entissimus Elector, vt iam nauibus sine re-
mora ducendis pateant portæ, & ita, quod
tentatum olim, sed successu destitutum,
gloriæ tanti Principis augendæ in hunc di-
em referuatum. Certe Tibi præcipue, con-
siliorum optimi Principis moderator sum-
me, ac Præses eminentissime, EBER-
HARDE, gloriosi huius facinoris grati-
am referet posteritas, quod in flagrantissi-
mo illo armorum æstu, quo Europa pene
conflagrata, eiusque partem non mini-
mam vbique facit Elector noster augustus,
ad pacis studia subinde retraxeris arma-
tum Principis animum, vt eodem plane
tempore, & arma vtrique Imperii hosti op-
ponat feliciter, & de prouinciarum sua-
rum salute promouenda domi ita sollici-
tus sit, quasi bellorum penitus expers vi-
veret. Indè tot magnifica ubique surgunt
palatia, operaque alia splendidissima, vt ne-
sciam, an vlli maiorum in ornandis pro-
vinciis

vinciis suis, promouendoque subditorum
bono, palmam sit relicturus. Eadem Tua
quoque haectenus pro Republ. sollicitudo
fuit, DANIEL LVDOLPHE, quamuis
enim Serenissimus Elector generales re-
rum bellicarum curas Tibi impositas vo-
luerit, quibus hucusque indefesso labore,
singulari fide & felici plane successu fun-
ctus fuisti; attamen ipse ab armis ad stu-
dia saepius reuocasti Tuum Tuique Prin-
cipis animum, dum nouae Musarum sedi
hic erigendae consilium pariter & auxilium
praebuisti, imo curam Academiae, curis bel-
licis iunctam, suauissimo Martis Artisque
consortio, Tibi imponi passus es, floremq;
Almae huius Fridericianae inter tot pon-
derosas occupationes alias, prono in Mu-
sas nostras adfectu promouisti. Quapro-
pter altius mihi non repetendae erunt ra-
tiones, quare tantis Nominibus, aulaeque
Brandenburgicae columinibus, pagellas has,
patris

patris iussu, consecrarim. Videlicet cata-
ractas exhibent, non procul ab hac Acade-
mia exstructes; sed non solum illarum si-
stunt structuram, verum ius præcipue,
quod circa exstruendas defendendasq; ca-
taractas in dubium vocari solet. Vtrumq;
vestra nititur auctoritate, qui & illustra-
tanti Principis facta consilio promouetis, &
factorem iura vestro tuemini præsidio.
Vestrum quoque est, si minus ornate, aut
caute minus de eximio hoc iure hic scri-
ptum quippiam, aut assertum sit, vt hoc vel
benigniori sententia suppleatis, vel penitus
emendetis. Deus Vos seruet, Fratrum par
incomparabile, vt dextram sinistramq; ma-
num porro præbeatis optimo Electori, quo
vestris consiliis vltèrius inconcussa stet Do-
mus Brandenburgica, ac bello paceque in-
videnda vbique capiat incrementa. Ego
vero votorum meorum summam conse-
cutus videbor, si gratiæ Vestræ flumen, na-
vigio

vigio fortunæ meæ nullis cataractarum re-
moris oppositis, in me, vti hactenus abun-
de in patrem meum, prono deriuetur al-
veo, & in vtrumque eodem cursu continu-
etur, ita enim semper in portu nauigabo,
perpetuum futurus


**ILLVSTRISSIMORVM NOMI-
NVM VESTRORVM**

Subiectissimus cliens

FRIDER. CHRIST. MICHAELIS.



INGRESSVS.



Nter innumera illa diuinæ benignitatis monumenta, quibus prospectum humano generi voluit summus rerum arbiter, aquas per terrarū ambitum prouide distributas referimus merito. Etenim, licet taceam, ad victum & potum aqua non posse carere homines, & hinc benignam matrem naturam per intima terræ viscera aquaticas distribuisse venas, sicut in humano corpore ductus sanguineos; ultra hæc tamen, longe maiori beneficio se maectatas sentiunt a Deo prouinciæ illæ, vbi tanta aquarum, stagnantium pariter & fluentium, copia est, vt piscibus non tantum suppeditandis, sed & mercimoniis per nauigia promouendis, civium vsui inseruiant. Hac enim ratione commodioris vitæ subsidia capiunt incolæ, & quæ ultra vitæ ne-

A

tæ necessitatem concessit ipsis summum Numen,
 ad alios secundo flumine deriuare, & ab his iterum,
 quæ sibi proficua, leui impendio repetere possunt.
 Hanc vero benignitatem summi Numinis, si vllæ
 aliæ, certe prouinciæ Brandenburgicæ venerari ne-
 cessum habent: quippe variis fluminibus illas or-
 natas esse, notius est, quam vt hic enumerari me-
 reatur. Verum cum hoc solum naturæ benefi-
 cium sit, dudum a maioribus possessum ac vsurpa-
 tum, id tamen nostra memoria quam maxime ad-
 mirandum occurrit, quod summis his naturæ be-
 neficiis incomparabili illa prudentia, duorum po-
 tentissimorum Electorum, Patre, iam inter cœli-
 tes triumphante, & Filio, iam gloriose per Dei gra-
 tiam terris Brandenburgicis imperante, tantum
 accesserit in promouenda nauigatione augmen-
 tum, vt dubitare liceat, an arti plus ac stupendis
 operibus, quam naturalis fluminis decursui acce-
 ptum ferre debeant subditi. Cataractas illas intel-
 ligo, quibus per arenosos montes Viadrum Sueuo,
 & sic etiã oceanum vtrumq; sibi iunxit FRIDERICVS
 WILHELMVS Magnus: & quas, non procul ab
 hac ipsa ciuitate, immensis sumptibus in Sala flu-
 mine, hodie exstrui videmus a FRIDERICO III.
 Electore sapientissimo. Quæ ipsa res, cum in con-
 spectu nostro peragatur quotidie, & singulari quo-
 dam vinculo ad Almam nostram Fridericianam
 perti-

pertineat, utpote hanc cum vna die solenni inau-
guratione bonarū mentium culturæ consecrasset
Serenissimus Princeps, altera die primum lapidem
manu sua posuit primæ in flumine nostro cata-
ractæ, quæ prope Trotam est: ansam nobis sup-
peditavit, specimine quodam Academico de Iure
Cataractarum agendi, & quæ circa illas in contro-
versiam forensam venire possint momenta, pau-
cis exponendi. Equidem hoc thema occupasse
iam videtur, clarissimus Vir, Io. Herbinus, in tr. de
admirandis mundi Cataractis, sed is historice o-
mnia perfecit, & circa cataractas, marinas, scyllas,
atque charybdes, item circa fluuiatiles, Nili, Rheni
aliasque hæret, nostrarum autem cataractarum
inter improprias binis saltem verbis mentionem
iniicit; de Iure autem plane non fuit sollicitus, de
quo tamen nos hanc Dissertationem conscripsi-
mus. Factum hoc est, pro ingenii modulo, ea li-
bertate quæ in Academiis permessa hucusq; fuit.
Hinc si pro argumenti grauitate vel minus ornate,
vel minus caute, vel plane per errorem aliquid nos
scripsisse senseris, beneuole Lector, eo promptiorē
nobis pollicemur veniam, quo magis hæc materia
certo iure destituitur, ita ut non verbis Legum, sed
ratiociniis plerumque componenda fuerit. Deus
nobis adsit, ut, monente Imperatore nostro Iusti-
niano, operam hanc, quasi per medium profun-
dum euntes, cœlesti fauore adimpleamus.

NATVRA ET VTILITATE

CATARACTARVM.

CONSPECTUS.

Ingressus capitis §. 1. Iuris significatio. §. 2. Cataractarum derivatio §. 3. ejusdem orthographia §. 4. ambiguitas, ubi de cataractis Rheni. §. 5. de portis pensilibus §. 6. Vox illa certis pontibus applicatur, ut & carceri §. 7. Cataractarum descriptio generalis §. 8. Pro portis aquarum capiuntur. §. 9. Quomodo latine dicantur §. 10. Ubi de clusis, clausis & clausuris. §. 11. de exclusa §. 12. De Germanorum voce Schleuse. §. 13. eius diversa significatio §. 14. Sielen / Schuz-gatter §. 15. Cataractarum origo & vestigia ex Iure Diuino §. 16. De versione germanica Fenster des Himmels §. 17. ejusdem vocis acceptio apud Psaltem §. 18. An in Frisia cataractæ fuerint, ante natum Christum §. 19. Cataractarum usus Traiani tempore §. 20. remouetur obiectio §. 21. Cataractæ mari oppositæ §. 22. an de cataractis in iure agatur? §. 23. Descriptio Cataractarum & delineatio specialis §. 24. Transitus ad Cataractas Brandenburgicas a Friderico Wilhelmo Magno exstructas §. 25. & 26. De Cataractis Salanis a Friderico III. Electore exstructis. §. 27. & 28. De utilitate Cataractarum ad sistendum mare & delendos hostes §. 29. ad promouendam nauigationem §. 30. De utilitate nauigationum & commerciorum. §. 31.

§. I.

A quarum fluminumque retinacula, cataractarum nomine exposituris nobis, cauendum mox in primordio est, ne illico circa solam cataractarum vocem aqua hæreat, & decursus totius operæ sistatur. Quapropter nec aquariam hanc materiam contra monitum

nitum Cui in *L. 1. ff. de O. 7. illotis manibus aggredi fas erit, sed ad imitationem Vlpiani in L. 1. ff. de I. & I. ante omnia nosse oportet vnde nomen & iuris & cataractæ descendat; quippe Ius Cataractarum præsentis dissertationis thema est.*

§. II. De Juris autem voce non est vt multa afferantur, cum illa iam tum explicata sit ab aliis sufficientissime. Adeant quibus volupe est Molina, *de Iust. & Iur. tractat. 1. disput. 2.* Less. *de Iust. & Iur. lib. 2. cap. 2. dub. 2. n. 14.* H. Grot. *de Iur. B. & P. lib. 1. c. 1. §. 3. seqq.* Pufend. *de J. N. & G. l. 1. c. 1. §. 20.* In Disputationis nostræ rubrica Ius Cataractis adscribitur non subiectiue, sed obiectiue; videlicet quod circa cataractas versatur, quo sensu ab Imperatore Institutionum libro II. *Ius rerum tractatur*, quatenus circa res hoc vel illud iustum est, Sed hæc vt leuia & cuius obuia, sicco pede transimus, vt ad ipsas cataractas eo citius deueniamus.

§. III. Vocabulum vero *Cataracta* originem suam Græco idiomati debere, vnusquisque facile ex nudo vocis sono animaduertet; circa ipsam tamen deriuationem non eadem omnium est sententia. Sunt qui a *καταρρέω* deriuant, quod est defluo, adfluo, & de flumine dici solet: sed frustra; nam *catarrho* magis conuenit illa deriuatio, quam *cataractis*: Rectius itaque alii a verbo *καταράσσω* [sc. *καταράττω*] deducunt, quod proprie significat allido, frango, rumpo, item cum impetu decido & delabor. Hoc autem verbum in tertia persona præteriti passivi habet *κατήρακται*, vnde adiectiuum *καταράκτης*, iis rebus tribui solitum, quæ cum vi quadam ac impetu decidunt; hinc postea effectum substantiuum *καταράκτης*. Ipsum vero verbum *καταράσσω* est a verbo *ράσσω*, quod significat allido. Est igitur *καταράκτης* in
A 3 sua

6 CAP. I. DE NATURA ET UTILIT.

sua generali significatione nihil aliud, quam istiusmodi quidpiam quod per impetum fit. Conferatur de huius vocis etymologia Gerardus Io. Vosius *in Etymologico lingua latina sub voc. Cataracta.* item Io. Herbinus *in tr. de Admirandis mundi cataractis Diss. I. c. 1. §. 1.*

§. IV. Hic autem non licet mirari satis, quare Vosius, clarissimus vir, & post eum Herbinus, aliique, vocem *καταράκτης* per duplex *ρ* recte etiam scribi posse, existimauerint; id quod haecenus perspicere nondum licuit; ut enim taceam, hac ratione latinam vocem scribendam esse per *b* Catarracta, quemadmodum *Catarrbus* scribitur, ex eo quod in græco idiomate *κατάρρος* dicatur, quæ res haud leuem difficultatem peperit Herbinio *c. l. §. 2* Insuper in Orthographia semper ad originem vocis respiciendum, ast ibi non est verbum *κατάρρασσω* sed *καταράσσω*. Quod igitur à quibusdam per duplex *ρ* ea vox scribatur, id inde prouenire existimo, quia nonnulli eam vocem a *κατάρρῶ* deriuatam voluerunt, uti §. *preced.* dictum, & fatetur etiam idem, sed & reiicit Herbin. *cit. l.*

§. V. Generalis illa vocis Cataractæ significatio ansam postmodum dedit, ut pluribus rebus fuerit applicata, & sic ambigua non leuiter reddita, a qua ambiguitate iam nobis liberanda est, ut postea eo melius, quo sensu hic veniat, apparere possit. In communi ori autem sensu Cataractæ autoribus vocantur loca quædam fluminum, vbi aqua a lueo terræ haecenus inclusa ex præcipiti loco *καταράσσει* hoc est, ruit potius, quam fluit. Ipsum itaque flumen cum fragore ruens *καταράκτης* dicitur, non omni loco, sed ibi tantum vbi dicto modo decidit. Quam in rem celebratur in primis Nili ortus qui ab immensis asperrimisq; rupibus, quæ

Lunæ

Lunæ montes vocantur, frequenti & copiosa scaturigine erumpit, in loco vehementer abstruso Io. Herbin. *cit. tr. Dissert. VI. c. 1. n. 3. seq* Add. Kircher. *in mund. subterr. l. 11. c. 10.* Pertinent huc cæterorum etiam fluminum Cataractæ quæ vulgo vocantur Wasserfälle: veluti præcipue Rheni ad Scaphusiam Heluetiorum urbem, item ad Lauffenburgum &c. quas omnes erudite ac solide descripsit & explicavit laudatus modo Herbinus *in cit. eximio tract. de admirandis mundi Cataractis.* Imo certos etiam fluuios propterea, quod præcipite cursu fluant, Cataractas dici, Strabo *L. XIV.* alique testantur.

§. VI. Sed nec fluminibus tantum ea vox tributa, siquidem & portæ pensiles per modum clathrarum ligno & ferro solidissime compactæ, ac funibus aut catenis ita suspensæ, ut belli potissimum tempore, si maxima hostium pars intrauit, demitti queant, ad hostes eo melius separandos & trucidandos, Cataractæ vocantur; quod Liuius *L. 17. c. 30.* & Vegetius *Lib. 4. c. 4.* testantur; Imo & aues prædatrices veluti falcones aliæq; ob velocissimum impetum, quo ex alto in prædam & subiecta loca ruunt, Cataractæ vocantur, vti Plinius refert *lib. 10. c. 44.*

§. VII. Sunt plures adhuc vocis hujus acceptiones; ita Cataracta videtur ab Appiano accipi pro ponte, qui in pugna nauali in hostium naues iniicitur, dum pugna confertur, & ascensum eis præbet, prout tradit Io. Rosinus *Rom. Antiq. l. 10. c. 20.* Carceres etiam Cataractæ dicuntur, quoniam foribus clathratis ut plurimum occluduntur, & eo sensu voce *καταράκτης* vsi etiam sunt 70. Interpp. *Jerem. 20. v. 2.* Vnde Commentarienses quoque Cataractarii vocantur, teste Carolo du Frelne *in Glossario ad Scriptores mediae & infimae latinitatis, sub voc.*

Cata-

Cataracta. Vbi etiam *cancellum ferreum*, quo muniebatur sepulchrum S. Petri vocari *Cataractas S. Petri* contendit. Foramen quoque in pariete factum, veluti per quod fumus transit, cataractam vocari, ex Hieronymo asserit Drusius ad *Gen. 7. v. 11.* sed hæc vltimæ significationes non modo valde improprie vocabulo huic tribuntur, sed & plane nullam cum voce convenientiam habere videntur.

§. VIII. Nunc subiiciendum est, quo sensu vox cataracta a nobis accipiatur, nam ab omnibus hæcenus allatis appellationibus in præsentis tractatione recedimus: Hinc generaliter Cataractas in sensu nostro ita describo; quod sint opera manufacta in flumine aut alveo fluminis, vt contineatur aqua, & post modum rursus dimittatur, ad sistendum aquæ cursum, vel promovendam navigationem comparata: Quo sensu etiam vocem hanc accipit Gerhard. Io. Vosius in *Etymolog. verb. Cataracta.* vbi ita inquit: *Vocantur etiam hoc nomine portæ, quibus sublatis fluminum aquæ emittuntur, ac demissis retinentur.* Hinc Ambr. Calepinus, *Cataractæ*, inquit, *dicuntur portæ ex funibus vel catenis pendentes, quæ attolli & dimitti possunt: cuiusmodi in urbium portis videmus, item in fluminibus quibusdam emittendæ vel retinendæ aquæ idoneas.* Ac Plutarchus per vocem *καταράκτις* portam significat teste Scapula. Quorsum Budæus in *Comment. Ling. Græc.* respicit, dum *cataractæ*, inquit, *vocantur obices, quibus aquæ cursus temperatur.* Cui affine est quod habet Pierre Richelet in *Dictionario Gallico*, sub voce *Escluse*, vbi tales cataractas describit, quod sint, *Plusieurs ais gros gran & forte assemblez avec des bonnes bandes de fer qu' on abaisse, & qu' on leve en Flandre, avec des Especes de Moulin & qui servent a retenir l' eau.*

§. IX.

CATARACTARVM

9

§. IX. Fateor equidem impropiam esse hanc Cataractæ vocis significationem, sed tamen ea non plane aliena est, nec medium comparandi deficit, dum aqua per minores portas, quæ aperiuntur, quando navis locum intrauit, pariter vi ac impetu transit ac perripit. Inde etiam præter Vosium a doctissimis viris, Herbinio & ab eo cit. Dn. Maiore *dict. tr. l. 5. c. 1. §. 3. p. 257.* Dn. Feltmanno *de Accession. memorab. p. 14. num. 2. in not.* Iodoc. Hackmanno *tr. de Iure Aggerum c. 14. n. 24.* aliisque, hoc sensu vox Cataracta sumitur: Quin & in antiquis Gallicæ linguæ Lexicis *Cataracte & Escluse* pro Synonymis posita vocabula reperiuntur. Accuratiores tamen vocem *Hydrotechnica* adiciere solent, ut ita vox *Cataracta* magis ad hunc sensum trahatur atque accommodetur, prout Dn. Maior & Herbinus *d. l.* fecerunt. Quid vero *Hydrotechnica* sit, in descriptione generali indigitatum est per verba: *opus manufactum in flumine vel in alveo fluminis.* Nam ὕδωρ aquam & τέχνη artem significat, quod tantum non omnibus notum est.

§. X. In latino idiomate speciali nomine, quo hæc res exprimitur, destituimur, ideoque convenientius vocem *Cataracta* retinemus; ut enim alia etiam nomina ei tribui interdum soleant, id tamen haud satis commode fieri credimus. Nam qui *Emissarium* vocant, rem nimis generaliter exprimunt, siquidem emissariorum nomine etiam claustra veniunt, per quæ aqua superflua ex terra in mare subter aggeres eiicitur, quæ alio nomine *Elices* ἔλικες vocari solent *L. 1. §. 9. ff. de Aqu. & Aq. plu. Io. Gryphind. de Insul. c. 28. n. 55.* Ad minimum, si tandem admittenda foret illa vox, unquam saltem *Cataractæ* partem denotaret, nam emittit non tantum aquas *Cataracta*, sed & recipit, hinc commodius receptacu-

B

ptacu-

ptaculum aquarum dici posset. Quorsum illi forte col-
limant, qui vocabulum *Clusa*, seu *Clausfa*, seu *Clausura* vel
Sclusa substituunt, quæ omnia tamen vel plane huc non
pertinent, vel admodum improprie ad cataractas ap-
plicantur, nam tale aquarum vehiculum indigitare so-
lent illa verba, per quod aqua ad molam ducitur ac per-
fertur, prout docte ac prolixè explicuit Io. Hering. tr.
de Molendin. qu 19 per tot.

§. XI. Ita *Clausfa* mentio fit in *Capitul. Caroli &*
Ludouici Impp. l. s. c. 148. quamuis enim Lindenbrogi-
us in *Glossario pag. 1377.* addat, quod *clausfa* sint *Sclusa* inter-
positiones, & inde *Escluses* descendat, id tamen huic
non refragatur: Cum istæ clusæ conueniant cum ca-
taractis in hoc tertio, quod iis pariter sistatur cursus
aquæ ex parte, & postea dimittatur. *Clausurarum* no-
men in eadem significatione reperitur in *Leg. Ale-*
mann. Tit. 83. Leg. Longobard. lib. 1. tit. 19. l. 5. & in Leg.
Wisigoth. lib. 8. tit. 4. l. 30. conclusiones aquarum vocan-
tur. Tandem *Sclusa* vocem habet *Lex 3. tit. 24. Leg. Sa-*
licarum, sed in eodem sensu, vti patet ex rubr. *d. t. 24.*
de furtis in molino commissis, quod & nigrum postea com-
probat. Imo secundum verum & proprium sensum,
Clausfa & *Clausura* nihil aliud est, quam angustus montiū
aditus. Carolus du Fresne in *Glossar. ad Script. med. & in f.*
Latin. T. 1. voce Clusa. Pro munimentis tamen etiam il-
læ voces accipiuntur, siue in terra fuerint erecta, de
quibus Impp. in *L. 1. §. 4. C. de Offic. P. P. Afr. & L. 4. C. de off.*
Magist. Luitprand. L. 1. hist. c. 2. & l. s. c. 8. siue in mari vel
flumine, Gryphiander *tr. de Insul. c. 28. n. 19.* vbi aggeres
hoc nomine appellat, quorum frequens est vsus in no-
stra Sala, cum iisdem aqua in molendina coarctetur,
quorsum exempli loco prouocat Gryphiand. *cit. l.*

§. XII.

CATARACTARVM.

II

§. XII. Illi rem propius attigisse existimari possent, qui pro voce *Cataracta*, substituunt *Exclusa*, quæ reperitur in *Leg. Wisigoth. lib. 8. tit. 4 L. 29.* huius hæc verba sunt: *Flumina maiora id est, per quæ me soces aut alii pisces maritimi subriguntur, vel forsitan retia aut quæcunq; commercia veniunt nauium, nullas ad integrum contra multorum commune commodum, suæ tantummodo vtilitati consulturus excludat, sed usque ad medium alueum, ubi maximus ipsius fluminis concursus est, sepem ducere non vetetur, vt alia medietas diuersorum vsibus libera relinquatur. Si quis contra hoc fecerit exclusa ipsius a comite ciuitatis aut iudice sine aliqua excusatione rumpatur, & si honestioris loci persona est X. solidos det & L. flagella suscipiat &c.* Quorum verborum generalitas videtur comparationem cum nostris *Cataractis* admittere. Quod non leuiter confirmat distychon illud *Fortunat. lib. 10. poem. 12.*

Inde per Exclusas cauta rate pergimus undas

Ne veluti piscem me quoque nassa leuet.

confer. *Greg. Turon. de Vitis Patrum c. 18.* ibi: *defixisque per flumen palis aggregatis lapidum magnorum aceruis exclusam fecit.* At vero, vt taceam non latinam esse vocem istam, sed ex Gallico *Escluse* desumptam, magna etiam inter ipsas *exclusas* & *cataractas* nostras diuersitas erat, nam illæ interdum ad capiendos pisces, interdum ad firmanda molendina ponebantur, quod neutrum de *Cataractis* nostris asseri potest. Videatur prolixius de *exclusis* *Carol. du Fresne d. Tr. T. 2. voce Exclusa.*

§. XIII. SuffICIENTER ni fallor nomen *cataractæ* explicauit, vt igitur nihil omisisse videar, addam paucis vnde Germanorum vocabulum *Schleusen* descendat? Et facili opera constabit, eam deriuaria claudendo *Schliffen* quod Belgico idiomate adhuc conuenien-

B 2

tius



tius exprimitur, vbi Cataracta dicitur *Sluis* & claudere *Sluiten*, vnde etiam Gallorum *Escluse*, quod hodie demptos *Ecluse* scribi solet, originem traxit. Et eodem deriuandi modo Italis *Chiufa* dicitur a *chiudere*, claudere, Conf. Dn. Feltmann. *de Accession. memorab. p. 14. n. 2. in not.* Iod. Hackman. *de Iure aggerum c. 14. n. 30.*

§. XIV. Sed illa vox germanica pariter non vnam significationem habet, sed pluribus rebus applicari solet, quas inter frequentiores afferam. Principalis est, qua applicatur vocabulum *Schleuse* illi canali, qui excipit aquam profluentem eandemque ad molas defert & gyrationem earum efficit, quod alias etiam vocatur *Wasserschütze* item *Mühlfeld* / item *die Teucheln und Canal* / & latine *Clusa* dicitur, de qua egimus in §. X. confer. Io. Hering. *tr. de Molendin. qu. 19. n. 3.* Noe Meurer *tr. vom Wasser-Recht P. 9. qu. 8.* Alia significatione in quibusdam locis fossa, per quam in publicis viis vel privatis ædificiis impurior aqua & sordes deducuntur & deriuantur, quæ in iure nostro cloaca dicitur *L. 1. ff. de Cloacis*, nomine *Schlauff* seu *Schleuse* insigniri solet. Vtriusque eadem deriuandi ratio est, quod se. pariter per istos canales vel fossas contineatur aqua, & in certum locum deriuetur. Tertio modo aggeres, ad remorandum fluminis cursum confecti, vt plurimum lapidum mole, germanice per vocem *Schleusen* / item *Sielen* significari solent. Hackman. *de Iure aggerum c. 14. n. 34. seq.* vnde vox *Schleuseinigung* descendit, quam idem Hackman *c. 7. n. 76.* habet. Add. Io. Gryphiand. *de Insul. c. 28. n. 56.* Quales aggeres in Nilo præcipue celebres erant & speciali nomine *κόμματα* & *διανοποι* vocabantur, teste Vlpiano in *L. 10. ff. de Extraord. Crim.* Plin. *l. 5. Nat. Hist. 9.* Ludov. Cœlius Rhodiginus *Lect. antiq. l. 27, c. 6.*

§. XV.

§. XV. Neutra tamen illarum appellationum huius loci est, sed videtur magis ad rem pertinere illa vocis Schleusen acceptio, quatenus *emisfitia* indigitat, per quæ aqua pluuiatilis intra aggeres corruata oceano deuerescente in mare se diffundit, quæ alio nomine vocantur Sielen / item Schlifer-Siel / & describuntur a Io. Iusto Winckelmanno in *Not. Hist. Polit. vet. Saxo-Westphal. c. 3. n. 38*. Schusgatter / die sich bey der Ebbe aufthun und mit der Fluth selbst zuschliessen / conf. Hackman. *cit. c. 14. n. 24*. Quarum Cataractarum Comites Oldenburgicos ultra nonaginta magna & parua, sumptu ac labore immenso ædificasse, testatur Winckelmann *cit. l. n. 39*. Quæ species admitti quidem potest, si diuersum Cataractarum usum respiciamus. Ast, in excellenti significatione nobis venit, quatenus istiusmodi structura non sinitur modo aqua, sed & nauigationes promouentur.

§. XVI. Quibus primum temporibus excogitatae ac inuentæ fuerint cataractæ, non omnino certum est, cum nulla pene ab historicis earum mentio iniiciatur. Si tamen ingenio aliquid dandum esset & allusionibus, forte a mundi conditi tempore earum originem reperere liceret. Mentionem eius rei facit textus in diuino Codice *Gen. 7. v. 11*. dum Moses, *rupti sunt, inquit, omnes fontes abyssi magna, & cataractæ cœli aperta sunt*: ubi in lingua sancta reperitur vox מַבְרַןִתִּים quam LXX. Interpp. reddiderunt, per vocem κατάρκται, vnde non modo in vulgata latina versione vox *Cataractæ* expressa, sed eandem Samaritana etiam, *Siriaca* atque *Arabica* habent. Hinc egregie illum locum explicat Ludou. Coel. Rhodiginus *Lect. Antiqu. lib 22. c. 24*. *Sicuti, inquit, Cataractis ex asseribus temperantur aquarum cursus, nunc aperiend, nunc occludendo in fossis, plerumq, manufactis, quarum præcipia late-*

ricio muniuntur pariete. Adstipulatur Perottus in Cornu Copia, ubi, Cataracta dicuntur ipsa loca e quibus aqua exeunt, unde in maximis imbribus, apertas esse cæli cataractas, dicere solemus. Nec interpretes S. Scripturæ refragantur, optime enim B. Calouius illum Geneseos locum explicat: Cataracta cæli aperta, nubibus in plagas diuisis, que vapores vel aquas intra se quasi repagulis quibusdam continent vel coercent. quorsum omnino referenda Dav. Parei verba: Phrasi hac significat Moses fuisse a Deo amota repagula aquarum, quibus alioqui sursum tenentur, ne decidant amplius quam Deus velit, & post aliqua, Cælum igitur est quasi repagulum aquarum superarum, ne decidant: sed nec omittendum quod Io. Caluinus habet ad eum locum: Dixit primo capite Moses, aquas sursum in cælo fuisse suspensas, quemadmodum & David tradit, teneri inclusas tanquam in utre. Nunc autem dicit Moses, quum Deus mundum perdere vellet diluuiio, metas illas fuisse reuulsas: Quod dicit ruptos fuisse fontes & apertas Cataractas, metaphoricæ sunt locutiones, quibus intelligit non fluxisse aquas vsitato more, nec stillasse pluuiam e cælo, sed sublata distinctione, quam vidimus a Deo positam, nullas amplius fuisse seras, que violentum impetum cobiberent.

§. XVII. Hic vero neminem offendere debet Lutheri versio Germanica, qui his verbis locum illum reddidit; Und die Fenster des Himmels thäten sich auf/ secutus enim plerumque est versionem græcam, in illa vero ab *Aquila* & *Symmacho* posita reperitur vox *duçides* quæ in propria sua significatione portas denotat, quamuis & interdum pro fenestris sumi soleat; quam tamen significationem hoc loco habere non potuit, nam tale quid ibi denotat vox *duçides* per quod aqua detenta, & tempore diluuii dimissa fuit; verum fenestræ non haben-

habentur, ad aliquid continendum vel emittendum, sed ad communicandam lucem huic vel illi loco. Id quod ex aliis textibus parallelis sufficienter constare potest, nam Iesaiæ 14. v. 18. dicitur: *Cataractæ cæli apertæ sunt*, vbi, licet in græca versione *δυσίδες* reperiantur, quia tamen vocabulum Hebraicum idem est, quod *Gen. 7. 11.* reperitur, eadem etiam facienda explicatio; & cum LXX. Interpp. potius substituenda vox *καταράκται* nam & Propheta ad pluuias diluuii ibidem respicit. Vatablus ad *dict. 1. Iesaiæ*. Quod clarius adhuc redditur, si locum *Malach. 3. v. 10.* iungamus, vbi eadem non modo vox Hebraica reperitur, sed Græci etiam per *καταράκτας* reddiderunt, vt sic recte se habeat vulgata versio: *Probate me, si non aperuero vobis cataractas cæli, & effudero vobis benedictionem usq; ad abundantiam.* Quod Grotius pariter & Drusius exposuerunt, quod promittat eo loco Deus per Prophetam, imbrem copiosam largamque.

§. XIIII. Pertinet etiam huc locus *Psalmi 24. v. 8.* quo David, dum de miseriis suis conqueritur, *Abyssus*, inquit, *abyssum inuocat in voce Cataractarum tuarum.* Vbi quidem non idem nomen reperitur, quod in Genesios loco, septuaginta tamen interpretes habent, *τῶν καταράκτων* σδ, cum etiam vox hebraica hic posita canalem & aquæ ductum denoter, & ita optime per cataractas reddi possit: vnde forte in Piscatoris versione substituta vox *canalium* quæ & Clario placet. Ast commodius alii per cataractas verti existimarunt: ita Grotius, *apertæ sunt cataractæ sine emissaria cæli*, vbi non improbabile est quo dicit, ad diluuium respicere Dauidem, & miseriam suam cum eo comparare. Vnde Vatablus ita reddit: *Cum magna vi perstreperunt Cataractæ tuæ, item, perstreperantibus iugiter Cataractis tuis, quorsum facit, quod in edit.*

Iunii

Iunii & Tremellii vocabulum *emissariorum* positum reperiatur.

§. XIX. Possemus tamen magis proprie Cataractarum originem repetere ex temporibus, ante natum adhuc Christum Salvatorem, si fidem habere liceret Hamconio in *Frisia pag. 83.* qui ex Suffrido Petri de *Scriptor. antiq. Dec. 1.* refert, quendam Galonem Frisium curam erigendorum aggerum & cataractarum, ad sistendum fluminum impetum, gessisse, adhuc ante Christi natiuitatem, librumque de extruendis aggeribus composuisse, ita vero canit Hamconius

Galo Cataractas passim dedit, atq; struendis

Præfuit aggeribus quorum tunc usus in ora

Nullus erat nostra, late dominantibus undis.

vbi per cataractas, ad cohibendum fluminis impetum factas, non alias intellexisse potuit, quam tales de quibus hoc loco agimus, vel iis similes. Sed vix credibile, eo iam tempore eiusmodi quid erectum, ad minimum certo de eo non constat, quam ob rem etiam reuocat Hamconii sententiam Io. Iustus Winckelman. in *Not. Hist. Polit. veteris Saxo Westphaliae c. 3. n. 27. seq.* vnde & Plinii locum quando in *Hist. Nat. l. 16. c. 1.* veteres Chaucos, ob altissimos maris aestus, tumulos quosdam altos habuisse, tradit, ita explicat Furmerius in *Annal. Fris. l. 2. c. 7. junct. l. 1. c. 1.* Erat tum ipsius terræ Frisiae facies longe alia, quam nunc est, cum alibi per alluionem aucta, alibi per eluionem imminuta sit. Ad septentrionalem plagam, quæ oceano Britannico alluitur, vbi que humilis & depressa multis paludibus inuia, multis lacubus ac stagnis intercisa, frequentibus arundinetis passim deformis, nullis aggeribus, *nullis emissariis* aduersus impetum munita erat, ita vt maximi anni parte

parte

parte sub aquis latitaret & vsum cultoribus nullum præstaret. Hucusque Furmerius. Sub voce autem *emissariis* cum tale quid intelligat, quod impetum maris sistit, & tamen postmodum aquam dimittit, non dubito eum de Cataractis nostris ibidem loqui.

§. XX. Quicquid sit de Frisia, Romæ tamen circa tempora Traiani Imp. eiusmodi Cataractas, si non vfitatas, ad minimum haud plane incognitas fuisse, Plinius nos edocet: Cum enim Traianus suafu Plinii constituisset lacum Nicomedensem cum mari fossa coniungere, & tamen Imperator vereretur, ne, si immissus in mare fuerit, totus efflueret, Plinius respondit: Cataractis temperari aquæ cursum posse *L. 10. Ep. 69. n. 4. juncta Ep. 51.* Vbi celeberrimus noster Cellarius *in notis* per cataractas moles transversas, quæ fluminis vim atque impetum retardant, intelligi, rectissime indicat.

§. XXI. Sed obiiciat hic quispiam, non omne illud Cataractam dici posse, per quod fluminis impetus retardatur, cum & aggeribus, ex lapidibus factis, temperari cursus fluminis possit, prout superius §. 14. traditum, & in Sala nostra oculis cuiuslibet patet, quo tamen sensu cataractæ nobis in hac dissertatione non veniunt. Sed respondeo, rem ex suis circumstantiis diiudicandam esse: Nam propterea lacum mari iungere volebat Traianus, vt marmora, fructus, lignaque & reliqua, quæ maximis sumptibus ac immenso labore e Nicomedensium finibus ad mare vehiculis deuehebantur, nunc modicis impensis, ac minori incommodo, navibus eo perferri queant, confer. *Ep. 50. n. 2.* Tales itaq; Cataractas debuit intellexisse Plinius, per quas non temperetur modo impetus, aquæ (nam quadraginta cubitis altior fuit lacus ipso mari *d. Epist. 50. n. 3.*) sed &

C

pro-

promoueatur nauigatio. At de istiusmodi cataractis nos hic principaliter agimus. Vt adeo; non dubitemus statuere, his iam temporibus cataractas fuisse; an vero primitus? id nunc asserere haud licet: prout facile etiam largimur in subsequentibus temporibus frequentiore earum usum extitisse, ipsamque structuram pariter magis postmodum fuisse excultam.

§. XXII. Ad nostra tempora si accedamus propius, constat in terris maritimis magis magisque earum usum inualuisse, maxime ad maris impetum sistendum, ubi cataractis opus erat altitudinem illam, qua terram continentem superat mare, reprimendi. In quem finem Otto Comes Oldenburgicus, primus sui nominis, cataractas locari curauit, quæ postea anno 1218. d. 17. Nov. ruptæ, incredibile damnum dederunt. Io. Iustus Winkelman *d. tr. c. 3. n. 57.* Et quamuis non negem, diuerso forte modo factas fuisse illas cataractas ac hodie exstrui solent, fuit tamen reuera hæc species, vtut primitus nauigationis causa non fuerint exstructæ, nam successu temporis quasdam earum, vt merces ad vicina loca subuehi possint, aptatas fuisse, comprobatur Winkelman *cit. l. num. 39.*

§. XXIII. Hæc ita ex historiarum monumentis adiicere placuit, sed ne nostri ipsius videamur esse immemores, ad lura reuertamur, & an iis incognitæ sint cataractæ subiiciamus? Vbi quidem largior, nomen in Legibus nostris reperire haud licuisse; rem ipsam tamen non ignorasse Ictos, facile adduci possem, vt crederem. Sunt enim notabilia verba quæ reperiuntur in *L. 1. §. 4. ff. de Riuis, Vlpianus: Septa sunt, quæ ad incile opponuntur, aquæ derivandæ compellendæue ex flumine causa, siue ea lignea sint, siue lapidea, siue qualibet alia materia sint,*
ad con-

ad continendam transmittendamq; aquam excogitata. Quamvis enim non ignorem incile nihil aliud esse, quam canalem seu vehiculum fluminis, prout Festus *de V. S.* testatur, & ipse etiam Vlpianus *d. l. i. §. 5.* incile vocat *locum depressum ad latus fluminis.* Quia tamen in dicto textu dicitur, quod septa sint comparata *ad continendam transmittendamq; aquam,* haud puto inconuenienter id cataractis applicari, siquidem illæ etiam continent aquam, & transmittunt, ac non nisi septis fiunt; maxime, si cum Vlpiano perinde sit, siue lignea sint septa, siue lapidea, nam & cataractæ partim lignea, partim lapidea imo interdum etiam sola lignea structura constant. Nec est vt quis dicat, omnem canalem continere ac transmittere aquam, id enim incile etiam facit, & tamen ibi non incile, sed septa, describere voluit Ictus, quæ sine dubio ab incili diuersa fuerunt, alias ab inuicem non distinxisset. Et hæc comparatio videtur confirmari verbis ex Leg. Wisigoth. *l. 8. tit. 4. L. 29.* supra §. XII. adductis. Vti quoque eam admittit & probat Winkelm. *cit. l. n. 38.* quem sequitur Iodocus Hackmann *de Iure aggerum cap. 14. n. 25.* & Dn. Feltmann. *de accession. memorabil. cap. 14. n. 2. in not.* Interim vero nolumus hæc vltra comparisonem factam accipi, nec enim septa proprie cataractas fuisse, asserimus.

§. XXIV. Est autem cataractarum conficiendarum non vna ratio, inde a generali earundem descriptione ad diuersas species eundem, ex quibus specialior earundem indoles elucescit. Distingui autem illæ possunt, vel ratione formæ seu totius structuræ, vel ratione materiæ. Ratione formæ aliæ sunt oblongæ, aliæ rotundæ, seu in forma fere ouali constructæ: Prioris generis forma vbiuis fere locorum recepta, vbi qui-

dem illa non absolute parallela est, sed in ingressu & egressu vno alteroue pede angustior reperitur, quam in ipso corpore, seu nauium receptaculo, sicuti exemplum in Hallensi nostra est, vbi in introitu & exitu, qui appellari solent *die Haupter* / prope portas latitudo est 18. pedum, in ipso receptaculo autem 20. pedum Reinlandicorum cum dimidio, quæ proportio pariter obseruata fuit in reliquis cataractis Salinis sicut & longitudo singularum est 222. pedum. Exclufas tamen hic volo alas illas quæ ante ipsas cataractas circa flumen expanduntur, ad recipiendam aquam fluminis, per cataractas postea vna cum nauibus dimittendam; quarum alarum latitudo ac longitudo non vniformis est, sed pro ratione situs & fluminis mensuram suam recipit. Sic cataracta Salana quæ Alslebiæ conspicua est, alas habet ad ingressum fluminis se extendentes ad 200. pedes, in egressu ad 50. pedes & vltra: Latitudo autem harum alarum eo maior est, quo maior ipsa longitudo. Posteriorem formam rotundam vel oualem, quod attinet, sunt illæ quæ vulgo dici solent: *die Kessel-Schleusen* / quarum insigne exemplum nobis exhibet Io. Herbin. in sæpe laudato tractatu *de adm. mund. Catar. l. 5. Diff. 11.* vbi, ex relatione Dn. Maioris, cupro expressam exhibet cataractam, quæ in flumine Brenta, Patauium inter & Venetias, in forma rotunda vel potius ouali exstructa: qua forma tunc vtendum est, si situs loci, vbi cataracta exstruenda, formam longiorem non admittat, quam vnus naus situs exigit, hinc defectus ille per rotunditatem suppleri solet, quo casu naues plures immiffæ transuersum situm occupando, locum sibi faciunt inuicem. Et huius generis cataractas, non sola nouit Italia, sed & Marchia Brandenburgica similes ostendit. Talis enim est cataracta in Hauela flumine prope Branden-
bur-

burgum exstructa; eiusdem formæ alia etiam in eodem flumine deprehenditur prope Auriacoburgum, vulgo Duranienburg. Qui locus amœnissimus ab arce splendidissima ibidem in memoriam celsissimæ originis Arausiacæ, ab incomparabili matre Serenissimi Electoris nostri, LOYSA, gloriosæ memoriæ Principe exstructa, nomen accepit, hodieque adhuc optimi Electoris animo a molestis imperii curis refocillando inseruit, eumque in finem augustis plane ornamentis nuper instructa. Cuius exemplum cæteræ Sorores beatæ Electricis, Dessauensis, Nassouica & Simmerensis imitatae, ad conseruandam domus suæ memoriam similia exstruxerunt Palatia, dicta Duranienbaum/Duranienwald/Duranienstein/ quæ singula non tantum a splendidissimis ornatisque palatiis, sed & a loci amœnitate, omnibus se ad admirationem vsque commendant. Vtcrius ratione structuræ distingui possunt cataractæ *quoad portas*, quibus aqua recipitur & emittitur. Regulariter enim duplicibus portis absoluitur cataracta, quarum duæ ad ingressum, duæ ad egressum destinatae sunt, ex quibus singulæ duas habent valuas, quæ prius aperiuntur, quo pedetentim aqua immitti & emitti possit. Interdum vero triplicatae interdum quadruplicatae deprehenduntur portæ, quam structuram diuersa fluminis & aquarum concurrentium altitudo quandoque exigit, quales cataractæ conspicuæ sunt, in Isthmo illo Brandenburgico, siue noua fossa Spream & Oderam coniungente. Vbi quædam cataractæ eapropter appellantur *anderthalb Schleusen*/quod triplicatis portis instructæ sint. e.g. die Schleuse bey dem weissen Berge/ mit dreyfachen Thoren/ & gedoppelte Schleusen/ quæ quadruplicatis constant, talis est die

Hammer-Schleuse im neuen Graben / non procul a ci-
 vitate Francofurtana, so vierfache Thoren hat / ad reci-
 piendam aquam ex stagno vicino, die Schlaube / quæ
 aqua vtriquæ cataractæ ex hoc stagno immitti potest,
 vt si forte nimia æstatis siccitate aqua nauigationi suf-
 ficiens fossæ huic deficiat, tantum, quantum sufficit, du-
 plicatis his cataractis immitti possit. Ratione *materia*
 distinguuntur, quod aliæ lignæ sint, aliæ lapideæ: illæ
 frequentiores; hæ, quod maioribus impensis constent,
 rariores sunt; lapideæ tamen omnes sunt cataractæ Sa-
 lanæ, ex quadrato lapide magnis sumptibus exstructæ.
 Id autem commune omnibus est, quod cataractæ et-
 iam lapideæ fundamentis ligneis vtantur, clatratis sibi
 iunctis, trabibusque in profunditatem immisissis: quibus
 non tantum structura cataractæ lapidea imponitur, sed
 & illi concauitati per quam naues transeunt hi pali in
 terram defixi inseruiunt, vt asseribus compactis tegi,
 & aquæ vim, ne alluendo aut decurrendo cataractis no-
 cere valeat, auertere possit.

§. XXV. Verum instituti ratio prohibet prolixius
 structuræ cataractarum inhærere, vtpote quæ ma-
 gis ad Architectos, quam ICTos pertinet; antequam ta-
 men ad vsum cataractarum transeamus, illud obsequii
 vinculum, quo potentissimæ domui Brandenburgicæ
 obstringimur, exigit, vt, quot cataractis pro subditorum
 commodo & mercatumum flore promouendo, prouinci-
 as suas instruxerit FRIDERICVS WILHELMVS
 Magnus, pariter & noster Serenissimus Elector FRI-
 DERICVS III, ordine recenseamus, quod commodius
 fieri nequit, quam si per flumina leuato transeamus ve-
 lo, & ad quas portas deferantur naues, videamus. Ipse
 beatissimus Elector in flumine *Hauela* exstruxit cata-
 ractas

raetas prope Ratenauiam, Brandenburgum, Spandauiam, Araufioburgum, Zedenicam: In flumine *Sprea*, quem Sueuum vulgo dicunt, circa annum 1650. prope Berolinum magnis sumptibus cataractam lapideam primus omnium exstruxit, sed elegantiore adpectu, quam vt diu *Sprea* decursum sustinere posset, inde paucos post annos nouam cataractam ex ligno conficere curauit, qua per 40. annos promouenda navigationi feliciter inseruit. Porro *Fürstenwaldæ* & *Beskouia* in eodem flumine cataractas exstruxit alias, hodiernum adhuc suum praestantes vsum. Et haec cataractae *Marchicae* sunt; similes in aliis prouinciis reperire licet; sic prope *Lipstadiam* in flumine *Lippe* dicto, cataractas quasdam exstrui curauit, idem gloriosae memoriae *Electo*, vt munimentis illius fortalitii aqua eo commodius suppeditari possit. In *Cluia* quoque in *Rbeno* flumine cataractas exstruxit, hodie nouo splendore a *Serenissimo Electore FRIDERICO III.* accepto, coruscantes, de quibus postea.

§. XXVI. Sed omnes has superauit stupendum opus, quod in iungenda *Odera* & *Sprea*, magno ausu suscepit, & plerisque de successu operis desperantibus, cum & superiori seculo idem, sed frustra, tentatum fuerit, consultore, vt fertur, ad furcam damnato, gloriose perfecit, & hac ratione viam pandit *Silesis* vt secundo flumine in mare *Balthicum* terrarum suarum merces transferre, *Pomeranorum* vero, & *Hamburgensium* commercia ita iunxit, ne amplius periculo vtriusque maris & *Balthici* & *Germanici* se committere necessum habeant, sed res suas sibi facili nauigio, citra vllam asecurationis necessitatem communicare possint. Aquam hic duxit potentissimus *Electo* per terras plane inui-

as, non

as, non per paludes fodientibus aquam præbentes, sed per sitientes arenas, & tandem, magnis licet sumptibus, rem eo perduxit, ut flumina illa singulari arte sibi iungerentur, nec aqua ibi deficeret, ubi antea nullius aquæ vestigium, sed naues per arenosa littora sine impedimento transire possint. Vicit eo ipso beatissimus Elector Regis Galliæ conamina, utrumque Oceanum sibi iungere tot annorum decursu, tentantis, sed hætenus successu plane irrito. In hoc itaque canali, seu Isthmo Brandenburgico, tredecim cataractæ, si duplicatas illas connumereres, conspicuæ sunt, ex ligno quidem confectæ, sed tanti roboris, ut conseruandis aquis ad navigationem necessariis abunde sufficiant. Speciatim has cataractas designare pretium operæ foret, nisi hoc iam secundum Leges artis Geometricæ, speciali charta cupro impressa fecisset, celebris quondam Mathematicus Brandenburgicus Dn. Blesendorf, cuius inscriptionem hic retulisse sufficiat: *Coniungere Sueuum ac Viadrum amnes fossa noua, coeptum est anno 1662. iussu atque sub auspicio Sereniss. ac Potentiss. Domini, DN. FRIDERICI GVILIELMI, Electoris Brandenburgici. Et quod antebac frustra conati sunt seculo ab hinc & multo ante prædecessores, id nunc consummatum ac opere ipso exhibitum est, moderatore Nobiliss. ac Generoso DN. PHILIPPO de CHIESE, supremo Castrametatorum Præfecto, Serenissimiq; Electoris Camera Nobile primario. Fossa hæc lata quinq; perticas Rheinlandicas. Longitudo eius ut mensura docet tria milliaria Germanica, vel 5 vel 6 horarum itinera excedit. In medio Longitudinis fere situm est oppidum Müllrose, vnde ad utrumq; latus ex lacu A. cui aquam ministrat ex Lusatia defluens riuus, quem genuino nomine alii Schlube vocant, per fossiculam B. ad utrumq; flumen descendit. Fulcitur ea retinaculis nonnullis que in Hollandia Schluisen,*

sen vocant, ob soli decliuitatem inter predictos amnes. Ad
 levam duo sunt C. C. per quæ pedes duodecim descendit aqua.
 Reliqua ad dextram sunt Retinacula, Characteribus D. D. D.
 &c. notata, numero sunt nouem, atq; de oppido ad Oderam us-
 que 60. pedes demissius solem est. Vnde patet Suenum præ Vi-
 adro 50. ped. elatiorem esse situatum.

§. XXVII. Iam descendimus ad Cataractas a Po-
 tentissimo Electore FRIDERICO III. exstructas. Cum
 enim ipse vestigia paternæ virtutis domi forisque o-
 stensæ, connato quodam stimulo, ad conseruandam do-
 mus Brandenburgicæ gloriam, sibi calcanda pruden-
 tissime censeret, id operæ sibi datum esse credidit, ne
 vlla ex parte, quidquid a tanto Parente memoratu di-
 gnum vnquam peractum, in se deficeret. Hinc ex eo
 tempore quo sceptrum Brandenburgicæ ipsi destinavit
 summum Numen, foris arma opposuit feliciter vtriq;
 Imperii hosti, Turcæ Galloque, & victorias hucusque,
 diuina adiutus benignitate, reportauit amplissimas;
 Domi vero inter medios armorum strepitus de subdi-
 torum salute pacisque studiis promouendis sollicitas
 egit curas; vt enim taceam palatia Berolini exstructa,
 & pontem illum pretiosissimum statua Electorali or-
 nandum, quo vtraque ciuitas prope arcem Electora-
 lem sibi iungitur, templum quoque, ut & armamen-
 tarium nouum, quibus in seculi admirationem perfici-
 endis quotidie adhuc manus admouentur; vt porro
 fabricas mercatorias, pictorias, & statuarias præteream,
 solum Academiam hanc nostram Fridericianam com-
 memorabo, quam magnis sumptibus instauravit, pe-
 rennique bonarum artium culturæ destinavit, quam
 florentissimam inter tot vicinas alias hucusque vidit
 optimus Princeps. Vt vero Ducatui Magdeburgico eo
 D melius

melius prouideret, consilium suscepit, quo pacto Salam,
 hucusque nauigio exercendo penitus ineptam, aptam
 redderet nauibus ad Albim dimittendis, & inde com-
 merciis cum ciuitate Hamburgensi, aliisque illius flu-
 minis accolis, stabiliendis. Sed cum hoc sine catara-
 ctarum remedio expediri non posset, sex diuersis in lo-
 cis exstruendæ fuerunt, septimam enim suis sumtibus
 Serenissimus Princeps Anhaltino Berenburgensis con-
 fici curat. Lapideæ autem omnes hæ tataractæ sunt,
 ex quadrato, vt vocant, lapide elegantissime compactæ,
 illa latitudine ac longitudine, quam supra §. XXIV. ex-
 pressimus. Pretium singularum 20. millia thalerorum
 excedit. Apparent autem illæ non in ipso flumine, e-
 ius enim celerior cursus non admitteret has remo-
 ras, sed in fossa quadam separata per vicinum agrum
 hoc fine ducta, ne per has cataractas ordinario flumi-
 nis cursui vicinisque molendinis quidquam decederet.
 Quo inferius nobis argumento erit, contra has cata-
 ractas male pronocari ad interdictum Prætoris: *ne quid
 in publico flumine fiat, quo aqua aliter fluat &c.* Cæterum
 maioribus nostris non plane incognitas fuisse catara-
 ctas in Sala flumine existimo, nam lites olim, occasione
 frumenti nauibus per ciuitates Halam & Calbam trans-
 portandi, inter Archi Episcopum Theodoricum & ci-
 uitatem Magdeburgensem exortas, ac anno 1366. ami-
 cabiliter compositas esse, refert Gothofredus Olearius
in Halygraphia Topo-Chronologica p. m. 105. Quapropter ne-
 cessario iam tum eo tempore vsum cataractum fuis-
 se adhibitum, dicendum, cum alias nauigari per hanc
 ciuitatem non potuerit; Inde etiam subsequenter
 temporibus anno 1559. Archiepiscopum Sigismundum
 Marchionem Brandenburgicum, cum vicinis Principi-
 bus

CATARACTARVM.

bus Anhaltinus, ratione nauigationis & cataractarum pactum fuisse legimus. Præsentis quoq; seculi exemplum non deest, de quo inferius dicendi occasio erit.

§. XXIIIX. Prima autem ex his Salanis cataractis, si structuram consideres, illa est, quæ Trotæ dimidio abhinc milliari, conspicitur, cuius primum lapidem, manu sua posuit Serenissimus noster Elector in discessu sua ab Inauguratione hujus Academiae die 3. Iulii anno M DC XCIV. In cuius rei perpetuam memoriam lapidi incisum est hoc monumentum:

FRIDERICUS. III. ELECT. BRAND.
III. IULII. M DC XCIV. III. AB. INAU-
GUR. ACADEM. HALL. DIE. PRIM.
AD. SAL. NAVIG. POSUIT. LAPI-
DEM.

Postea cæteræ exstructæ sunt, ex quibus nouissima est nostra Hallensis, quæ a vicino prædio Gimrizenfi nomen accepit, in cuius muro prope partem sinistram portæ superioris tabula cuprea, cum inscriptione Serenissimi Fundatoris, & illorum, quorum consilio & auxilio hic vsus est, vt & reliquarum in Sala cataractarum nomina exprimens, immissa est, quam huc retulisse magnifici operis memoria omnino exigit.

M. S.

AUSPICIS. ET. SUMPTIBUS. SERENISSIMI.
ET. POTENTISSIMI. PRINCIPIS. AC. DOMINI.
DN. FRIDERICI. III. MARCHIONIS. BRAND,
S. R. I. ARCHICAMERARII. ET.
ELECT. BRAND.

CONSILIO. ILLUSTRISSIMI. DN. PRAESIDIS. GENER.

BARONIS. DE DANKELMAN.

ET. CONSILIARII. CAMERAE. INTIMI.

CHRISTIANI FRIDERICI. KRAUTS.

D 2

CON-

CONFECTIS. IAM. SUPERIORIBUS. ANNIS. M DC XCIV.
ET. XCV. NEC. NON. HOC. ANNO M DC XCVI.

QVINOVE. CANALIBUS. TRIO TÆ. VVETTINI.

ROTENBURGI ALSLEBIÆ. ET. CALBÆ.

OPERIS. DIRECTORE. NEHRINGIO.

ARCHITECTONIBUS. NULIZIO. SCHROTERO. SCHULZIO.

MAGISTRO VERO. REICHMANNO EXISTENTIBUS.

HÆC. TANDEM. CANALIS. GIMRIZENSIS. FUNDAMENTA

IACTA. SUNT. D. XXV. IUNII. ANNO. M DC XCVI.

Alias adhuc cataractas a Serenissimo Electore FRI-
DERICO III. exstructas adducere in procliui est;
quippe omnium oculis exposita est cataracta Beroli-
nensis antea lignea, prout supra §. XXV. adductum;
sed iam ex lapide quadrato elegantissime exstructa, cui
si accesserint statuae, ad illam ornandam destinatae, vix
vlla alia cum hac comparari poterit. Longitudo eius
est XXI. perticarum siue CCLII. pedum, latitudo au-
tem XXIV. pedum. Pariter cataractam exstrui cura-
vit, sed ligneam tantum in eodem flumine Sprea, quæ
dicitur zur neuen Mühle/ non procul a vico Wendisch
Wusterhausen; & si, quod agitur, consilium de noua
fossa prope Storcouiam faciendam, & ad famosam & in-
uictam illam syluam, quæ der Spreewald dicitur, diri-
genda, aliquot cataractis adhuc opus erit, quibus Lu-
satiæ inferioris commoda mirifice promouebuntur.
In Cliuia quoque cataractam lapideam triplicatis por-
tis exstruxit, vbi portæ priores Rheno crescente clau-
duntur, sed eo decrecente, sua sponte aperiuntur.

§. XXIX. De utilitate cataractarum non attinet
hic multa adferre, siquidem illa sufficienti experientia
comprobata hætenus est. Stiterunt ipsum mare per
cataractas ingeniosissimi Belgæ, aliique maritimi po-
puli.

puli. Cum sane altitudine sua terram Oceānus longe exsuperet. vid. supra §. XXII. sed ita tamen auerterunt impetum maris, vt aduocari in auxilium belli tempore per has ipsas cataractas facili negotio posfit. Ita non vna vice deletos fuisse hostes, si modo aperiri potuerint portæ cataractarum, recentissimi æui historia subinde testatur: adeo enim omnia inundantur aqua, si aperiantur cataractæ, vt non modo progressus nullos facere hostes, sed nec subsistere possint; quamuis hoc remedium delendi hostes plane desperatum sit, cum æque nocere soleat incolis quam hostibus.

§. XXX. Sed ista a commoditatibus harum provinciarum alieniora forte videbuntur, ac proinde minus ad nostrum Reipubl. statum pertinere, censerentur; verum nec desunt argumenta domestica: Cataractæ enim multis modis promouent in ipsis fluminibus nauigationem. Quædam namq; flumina in se quidem ad nauigationem apta satis sunt, verum reperiuntur ibi nonnulla impedimenta, quæ remouenda, si nauibus transeundum flumen sit. Ita in hac Sala nostra aggeres obsunt, qui tamen remoueri haud possunt, nisi molendina, quibus aliter deficeret aqua, destruantur, imo & ipsa aqua Salana vno impetu copiose profluens, plane inutilem redderet nauigationem. Igitur eosdem circumire oportet, id quod haud aliter contingere potest, quam per cataractas. Sed & si prærupta loca in flumine aut impediunt, aut difficiliorem reddant nauigationem, qualia in Rheno hinc & inde, & in Visurgi etiam prope ciuitatem *Hameln* reperiuntur, per cataractas flumen ad æqualem cursum redigi potest, sed tantæ altitudinis esse debebunt, quantum est præcipitium, ita enim sistunt cataractæ cursum fluminis, donec

30 CAP. I. DE NATVRA ET VTIL.
aqua fuerint impletæ, vbi absque periculo præcipitium
superabunt naues, ac postmodum apertis portis ca-
taractarum paulatim demissæ, absque impedimen-
to iter continuabunt. Cuius cataractæ famosum ex-
emplum existat Harburgi, vbi cum fluxus & refluxus
maris Hamburgum vsque se extendat & Albim in con-
sortium arcani huius naturæ miraculi trahat, altitudo
fluminis vicinos agros occuparet, nisi aggeribus con-
tineretur, nec naues Harburgum, fossa aquatica satis
depressa, venire possent, nisi magni laboris, roborisque
cataracta Albi opposita nauibus descensuris, vel Har-
burgo Hamburgum ascensuris portas aperiret. Et hæc
cataracta Harburgensis, cum triplici porta instructa
sit, hoc quoque commodi habet, vt recedente flumine
ob refluxum maris porta posterior clausa maneat, pri-
oribus apertis, ne alioquin omnis aqua a fortalio Har-
burgensi recedat, sed his portis posterioribus retinea-
tur. Imo quandoque interest Reip. ad compendia na-
vigationum duo inuicem iungere flumina, quod ta-
men inæqualis eorum situatio non admittit, si enim al-
terum depressiori loco fluat, non possunt hæc simplici
fossa iungi, cum ita flumen superius alueum hunc pla-
ne derelinqueret, & in flumen inferius omnem aquam
diffunderet. Sed huic etiam difficultati occurri potest
per cataractas, vti id suo facto ostendit gloriosissimæ
memoriæ FRIDERICVS GVILIELMVS, Elector
Brandenburgicus, in coniunctione Sueui & Viadri, de
qua supra dictum §. XXVI. addatur etiam locus Plinii
p. 17. in fine adductus. Cui hoc adhuc adiicio, quod
mediantibus cataractis & minora flumina nauigabilia
reddit possint. Sic in Marchia Brandenburgica prope
Wusterhausen/aqua quædam decurrit ad flumen Spreæ,
vulgo

vulgo Die Fließ dicta, quæ antea nauigio penitus non sufficiebat, sed tribus cataractis, a beatissime defuncto Electore eidem immisis, nauibus transmittendis iam commodissime inferuit, vt mediantibus his cataractis iam Berolino nauibus excurri possit versus Büsterhausen/Mittenwalde/Mellen/Zossen & Sperenberg / unde leuibus impensis hodie Berolinum transportari possunt lapides gypso præparando apti. Simili modo in aqua, quæ non procul a pago Dastorff in Spream se diffundit, per cataractam illi impositam, ab eodem Serenissimo Electore effectum est, vt ex calcifodinis illic loci existentibus, per naues calx Berolinum transferri possit, qua ratione incolis Berolinensibus subsidia ad extruendas ædes splendidiore necessaria, leuiori pretio exhibentur, quod adhuc supra §. XXV. referri debuisset.

§. XXXI. His & pluribus modis cum promoueri nauigationes per cataractas possint, quis non primo etiam intuitu earum vtilitatem, ne dicam necessitatem, admiretur? Recte enim Vlpianus in *L. 1. §. 20. ff. de Exerc. act.* asserit, quod ad summam Reip. (siue Rempublicam, vti Cuiacius *l. 12. obs. 32.* eam lectionem defendit) pertineat nauium exercitio Beneuen. Straccha *tr. de Nauib. P. 1. num. 1.* cessante enim nauigatione, cessabant commercia, nec ex transmarinorum copia aliorum inopia habebit subsidium, nec occurrent sibi solatia regionum, si vehicula tollantur de inuio, verba sunt Cypriani *de Baptismo Christi c. 3.* Ita Atheniensium Legati, in oratione ad Lacedæmonios, fortunas Græciæ in nauium præsidio sitas fuisse, prædicant, apud Thucididem *lib. 1. Histor.* Non igitur assensum meretur Seneca, nauigationem omnium bellorum causam esse censens, dum *L. 5. nat. quest. c. 8.*

Magna

Magna, inquit, pars erat pacis humanae, maria concludi. Ali-
 ter nos edocet David Rex, inter maxima Dei opera re-
 ferens, quod naues per mare vadant. *Psalms. 104. vers. 26.*
 eiusque vsus navigatione sua Ophiritica, ad promo-
 vendam templi structuram in aduehendis tot tignis
 pretiosissimis cum stupore ostendit Salomon, de quo
 vid. Lipenii *Tr. de Navigat. Salom. Ophir.* Hinc iam ante
 illum Moses inter felicitates memorat, terram mari vi-
 cinam possidere, ob ingens quod exinde speramus lu-
 crum, locus est *Deuter. 33. v. 19.* vbi Zebulon inquit & *Isa-*
schar, affluentiam marium fugent & occultos thesauros arena,
vid. Genes. cap. 49. v. 13. Quæ omnia in navigationibus e-
 tiam quæ in fluminibus fiunt, locum obtinent, reuera
 enim nisi qualitate periculi non differunt, sicut etiam
 per flumen transeundo naues ad mare deueniunt, na-
 vibusque marinis merces suas ad extera regna trans-
 portandas committunt & ab his alias recipiunt. Hinc
 eadem utrobique adsunt reipublicæ commoda sc. aug-
 mentum commerciorum, sine quibus negotiationibus
 ciuitas bene beateque, (ciuilem intelligo beatitudinem,
 non theologiam, interim tamen a Deo non reproba-
 tam) haberi non potest, vti summæ prudentiæ & au-
 thoritatis apud Græcos Plato testis est, referente Cal-
 listrato Icto in *L. 2. ff. de Nund.* Recte igitur Petr. Gre-
 gor. *de Republ. l. 4. c. 7.* Mercatores, inquit, & negotiatores
sunt in Reipubl. corpore velut ministri, baiuli, pedes, qui trans-
ferunt reliquis necessaria. Est enim mercatura non tan-
 tum ciuitatibus utilis, sed etiam honesta, nec solum ho-
 nesta, verum etiam necessaria, vti loquitur Bodinus *de*
Republ. l. 3. c. 8.

CATARACTARVM.

33

CAPVT II.

De

FONTIBVS IVRIS CATA- RACTARVM.

CONSPECTVS.

Cataractarum Ius ex iure fluminis dependet. §. 1. Ius circa flumina est Principis. §. 2. ejus fundamentum. §. 3. Flumina regalibus accensentur. §. 4. quod ad omnia flumina pertinet. §. 5. Dd. diuersæ sententiæ de Iure Flum. §. 6. Nec Iure Romano Principi ius in flumine denegatum. §. 7. tollitur dubium de riuis. §. 8. Adducitur locus Grotii §. 9. Principibus Imp. Ius fluminum asseritur. §. 10. & 11. ut & ius circa Alueum. §. 12. circa alluionem. §. 13. insulas §. 14. De Iure molendini in flumine §. 15. de Iure portus §. 16. Pontium & Pontonum §. 17. Grutia §. 18. Ius promouendi nauigationem §. 19. Stapule §. 20. Geranii §. 21. Ius exstruendi cataractas §. 22. quod Statibus Imp. asseritur vi superioritatis §. 23. & 24. Sententia Itteri reiicitur. §. 25. Ius Cataractarum ex solo vsu fluminis non dependet §. 26. Quid si vni in territorio superioritas, alteri Regalia competant? §. 27. An concessio feudi Regalis implicet Ius Cataractarum? §. 28. declaratur exemplo §. 29. Ciuitatibus Imperii asseritur Ius Cataractarum. §. 30. item Nobilibus immediatis, §. 31.

§. I.

DE Fontibus Iuris exstruendi cataractas in flumine publico, acturus in præsentî capite, statim ab initio apparet, infelicem futuram esse tractationem, nisi prius, quisnam de flumine disponendi potestatem habeat, fuerit expositum. Ex fontibus enim flumina nascuntur, his cataractæ immittuntur. Cui itaque circa flumen ipsum nulla disponendi licentia est,

E

est,

est, ille cataractas etiam nullo iure exstruere valebit; Contra vero in cuius arbitrio flumina sunt, ille etiam extruendi cataractas ius habet.

§. II. Cui autem ius circa flumina adscribamus, satis cuilibet patere credimus; scilicet illi, qui summam in Rep. potestatem habet, & hinc in statu Monarchico, Principi, in Aristocratico, optimatibus, in Democratico, populo, id iuris tribuendum. Inde iam est, quod Dd. de primo Reip. statu loquentes magno numero asserant, flumina in dominio & liberrima dispositione Principis esse. Vulteius *de Feud. l. 1. c. 5. n. 6.* Sixtin. *de Regal. l. 2. c. 3. n. 30. seq.* Fr. Stypman. *tr. de Iure maritim. P. 2. c. 3. n. 52.* Klock. *de Aerario l. 2. c. 65.* Besold. *P. 5. conf. 239. num. 5.* Arnif. *de Iur. Maiest. P. 3. c. 3. n. 2.* Guid. Pap. *Dec. 277.* Rutg. *Rul. de Commissar. P. 4. l. 2. c. 10.* aliique ab his citati.

§. III. Eam autem potestatem in flumina Principem non immerito, sed suo ac proprio iure sibi vindicare, facili negotio probari potest. Quod si enim ad Principem tota Respubl. pertinet, ridiculum erit asserere minimam eius partem ad eum non pertinere. Sed vero, ut hæc eo melius perfectiusque cognoscantur, ita habendum est: Originetenus populum omne ius suum in Principem sponte transtulisse. Non loquor de Romanorum Lege Regia, cuius mentio fit in §. 6. I. de I. N. G. & Ciu. quam in rem vid. Mart. Schock. *de quadruplici L. Regia. Conring. in Not. ad Lampad. de rep. Rom. Germ. P. 2. §. 9.* Iustus Eckard. *de Leg. Regia & Dn. de Peschwitz tract. de repressal. cap. 5. n. 9.* Sed prout alias plerarumque rerum publ. origines ex coniecturis repetendæ, id ego quam maxime probabile existimo, Populum priuatiue & abdicatiue omnia iura & territorium ipsum concessisse Principi, potestatemque simul

mul, ad promouendam & conseruandam salutem publicam, pro suo arbitrio vtendi bonis in Rep. sitis dedisse; Principem vero singulis certa iterum loca, quæ hodie adhuc priuatorum iure censentur, ad colendum & habitandum concessisse, ita tamen, vt ea, quæ ad dignitatem suam ac salutem publicæ rei conseruandam ac promouendam faciant, sibi reseruauerit. Quorsum etiam Hugo Grotius respicit, in aureo tractatu suo, *de I. B. & P. lib. 2. c. 3. §. 19. n. 2.* vbi illud notandum esse dicit: Interdum primas acquisitiones a populo aut populi capite ita factas, vt non tantum imperium, in quo inest ius illud eminens, sed & priuatum plenumque dominium generaliter primum populo, aut eius capiti quæreretur: atque vt deinde particulatim in priuatos ita fieret distributio, vt tamen eorum dominium ab illo priore dominio penderet. Imo id ipsum plerumq; contingere dicit idem Grotius *d. tract. lib. 2. c. 8. §. 9. n. 1.* vbi id inter alia Taciti comprobatur testimonio, qui *libro de moribus Germanorum*, exemplum a Germanis petit: *Agri inquit, pro numero cultorum ab vniuersis per vicos occupantur, quos mox inter se secundum dignationem partiuntur.* Et eodem respectu dicit Dn. Vitriarius *in Inst. Iur. Nat. & Gent. lib. 2. c. 9. qu. 2.* *Si priuatus absq; successore moriatur, dominium bonorum ipsius ad vniuersitatem, aut ad dominum superiorem redire, a cuius dominio generali & eminenti pendet.* Ad quem autem aliquid redit, apud eum oportet res illa iam antea extiterit. Reditus enim præsupponit priorem præsentiam. E. necessum est vt habuerit aliquando Princeps bona priuatorum. Ex hoc fonte deriuatur comòdisime celebratum illud dominium eminens, quo Princeps necessitatis tempore de bonis subditorum disponendi potestatem habet; cum cen-

featur in distributione rerum inter priuatos, in casu utilitatis ac necessitatis publicæ dominium sibi reseruisse. Hinc etiam illud est, quod communi Dd. ore asseritur: Eum qui eximia quædam iura, Principi alias competentia sibi asserit, vel concessionem earundem probare debere, vel immemoriam præscriptionem, ex qua talis concessio præsumitur. Quod enim Princeps priuatis concessisse ostendi nequit, illud sibi eum reseruasse præsumendum est. Flumina igitur, de quibus iam sumos solliciti, cum dubio procul ad utilitatem Reip. maximum momentum conferant, quis non credat Principes dispositionem circa eadem sibi plene reseruasse, & summo iure sibi soli adscribere & vindicare potuisse, ne media subducantur, publicam utilitatem promouendi.

§. IIIV. Ob hanc rationem vnanimi Dd. placito ius circa flumina ad regalia refertur. *Cap. Regalia 2. F. 56. Marquard. de Iure Mercatur. l. 1. c. 17. n. 24. seq. Ziegl. de Iur. Maiest. l. 2. c. 15. n. 19. Sixtin. de Regal. l. 2. c. 3. n. 30. Gryphander de Insulis c. 12. num. 6. Klock. de Ærar. lib. 2. cap. 65. Befold. Part. 5. conf. 239. n. 5. Marc. Anton. Peregrin. de Iure Fisci l. 1. tit. 1. n. 16.* Sed vnde regalia pertinent ad Principem, nisi vi maiestatis, & quod huic analogum iure superioritatis territorialis? Ita enim definiunt Icti regalia, quod sint iura summo Principi in signum supremæ potestatis ad Reipubl. dignitatem & utilitatem tuendam, competentia Anton. *Disp. Feud. 3. tb. 6. lit. b. Tob. Paurm. de Iurisd. l. 1. c. 4. n. 20. Bocer. de Regal. c. 1. n. 1. Add. Conradi & Benedict. Carpzouiorum perelegans tract. de Regalibus c. 1. aph. 5. seqq.* Siue igitur flumina ad Principem pertineret iure superioritatis dicas, siue iure regalium, re ipsa, idem est.

§. V.

§. V. Cum vero mentio modo facta fuerit textus in *Cap. Regalia. 2. F. 56.* vbi regalia ordine recensentur, & fluminum etiam mentio fit, illorum sc. quæ vel sunt nauigabilia, vel ex quibus fiunt nauigabilia, dubium hic facile cuiquam oriri posset, annon illa etiam flumina ad regalia referenda, quæ alicuius quidem momenti sunt, sed tamen nec ipsa nauigabilia dici possunt, nec alia reddunt nauigabilia? Id quod omnino affirmandum credo; verba enim illa non exclusiue adiecta sunt, quasi in reliquis nihil iuris haberet Princeps, sed propterea nauigabilium in specie mentionem factam esse credo, vt flumina publica & maioris momenti distingvantur a riuis; torrentibus &c. & quia ex illis fluminibus, quæ nec ipsa nauigabilia sunt, nec alia nauigabilia reddunt, non multum commodi sperari potest, vt sic ad regalia referre sit superuacuum: quod si E. contrarium appareat de quodam flumio, pariter eum ad regalia referendum esse, non dubito.

§. VI. Hic autem non possum satis mirari, quod tam diuersimodo loquantur Dd. de iure & vsu fluminum; dum haud pauci respectu iurisdictionis quidem regalibus ea adscribunt, sed ratione vsus ac proprietatis ad populum pertinere existimant, Celsus, Mancin. Rauenn. *de Iur. Principat. l. 4 c. 20.* Io. Hering. *tr. de molend. qu. 15. n. 15.* Althus. *Dicaolog. l. 1. c. 1.* Bocer. *class. 5. disp. 11. th. 2.* Quæ tamen sententia quam falsa sit, primo intuitu cuius patet; sequeretur enim ex illa hypothese, omnia priuatorum bona, in quibus Principi iurisdictione comperit, ad regalia esse referenda: id vero, quam a iuris ratione, alienum sit, prolixè nunc exponere superuacuum existimo. Alii quodnam flumen vere ac proprie publicum dici possit, dubio ac vacil-

lante calamo proponunt: Alii alia ratione in difficultates circa hanc materiam incidunt, vt illis vix se liberare possint. Conferri potest Dn. Conrad von Einsiedel *Tr. de Regal. c. 2. n. 278. & seqq.*

§. VII. Tam incerti igitur ac dubii quod hac in re Doctores sint, inde contigit, quod plerique ius ciuile, de fluminibus eorumque vsu agens, superficialiter saltem tractauerint, ac veram Ictorum mentem & sententiam non fuerint assequuti. Nam si quæras ex illis, quid iuris habeat Princeps circa flumen, vno ore omnes respondebunt, distinguendum esse ius ciuile a moribus hodiernis, illo iure ad populum spectasse vsu fluminis, hodie Principes sibi illud ius vindicasse, asserunt. Verum liceat hac de re nostram nunc paulo liberius exponere sententiam. Scilicet existimamus ne latum quidem vnguem recedere mores a iure ciuili, quod vero illud hætenus ignoratum fuerit, inde est, quia ambiguo vocis sono decepti fuerunt incauti, dum conditionem Imperii diuersam non satis habuerunt ob oculos. Etenim publica iure ciuili dicuntur, quarum rerum vsus ad populum pertinebat, proprietas ad rempubl. spectabat; id vero non alio respectu intelligi volebant Icti, quam Lex definiri poterat, quod fit, *quam populus Rom. Senatorio Magistratu interrogante (veluti Consule) constituebat*: in habitudine sc. & respectu isto quem in statu populari habuit; id quod etiam agnoscit Ziegl. *de Iur. Maiest. l. 2. c. 7. §. 15.* Statum ergo Reipubl. Rom. popularem respiciunt Leges nostræ, quæ vsu fluminum populo concedunt. Iam vero, cum quod in statu populari est populus, illud in statu Monarchico sit Princeps, manifestum est, quæ in illo statu dicuntur publica, in hoc statu dicenda esse Principis. Da mihi ergo
Remp

Remp. Democraticam, per cuius territorium flumen transit, & dabo tibi flumen, quod est publicum: Contra si Resp. Monarchica sit, credo Vlpianum ipsum non aliter fuisse responsurum, quam in arbitrio Principis esse illud flumen. Sicuti idem in *l. 2. §. 3. & 4. ff. Ne quid in loco publ.* res publicas & res Principis clare satis distinguit; Quod autem Icti, qui tamen sub Impp. vixerunt, flumina secundum antiquum Reip. statum, & non præsentem, descripserint, partim inde contigit, vt nihil penitus antiquitatis ignoretur, partim etiam, quia ipsi quoque Impp. primis temporibus nolebant præ se ferre despoticum aliquod regimen, aut persuadebant populo, se non euersurum eorum statum, sed Imperatores modo, hoc est Duces belli, exstituros, quo ita, delinitis animis ciuium Romanorum, Monarchiam suam eo firmitus stabilire possent: quam ob causam sæpe etiam Senatam Romanum conuocabant, ac se ipsos Consules scribebant, quod illis qui primordia saltem historiæ Romanæ tractarunt, ignotum esse nequit. Hinc Celsus etiam *L. 3. pr. eod.* dum littora non aliter publica dicit, quam intuitu populi Romani, haud obscure innuit, se non saltem quando de littore loquitur, statum reipubl. Roman. popularem considerare, sed & eundem respectum in reliquis rebus connexis habendum esse, prout etiam ab vno ad alterum argumentum in hac materia valet, cont. *L. 5. ff. de R. D.*

§. VIII. Hinc iam facilis responsio ad illud dubium, quod formare hic solent, quærendo, quare non ripas etiam Principes sibi vindicarint, cum tamen quicquid de flumine dicitur, ad ripam etiam applicari possit. *arg. §. 4. Inst. de Rer. Diu.* Respondeo enim, Principes propterea vsum ac proprietatem in ripas non præten-
dere,

dere, quia ius illud priuatis concesserunt; sed vero, cum flumen priuatorum arbitrio non concesserint, inde merito soli ius circa eadem, vt principali potestati cohærens, possident. Hæc autem omnia quam clara & euidentia sint, miror, præter Francisc. Stypmannum, neminem hæcenus, quantum mihi quidem reperire licuit, obseruasse, aut tamen accurate traditum reliquisse. Ille autem in *Tr. de Iure Maritimo & Nautico P. 2. c. 5. n. 71.* optime hac de re differit sequentibus: *Non dicuntur flumina populi, qui subditus est, vel singulorum in populo, sed populi, qui Reipublicæ Dominus est, & regalia habet.*

§. IX. Facit huc ex parte illud quod Grotius habet in *Tr. de I. B. & P. l. 2. c. 2. §. 12.* Vbi *Flumen*, inquit, *qua flumen dicitur, proprium est populi, cuius intra fines fluit, vel eius, cuius in ditione est populus: atq; ei licet molem in flumen iniicere, quæ in flumine nascuntur, eius sunt. Ad idem flumen, qua aqua profluens vocatur, commune mansit, nimirum vt bibi hauririq; possit.* Et quamuis hanc differentiam admittere nolit Pufendorf, *Tr. de I. N. & G. l. 3. c. 3. §. 4.* sufficientem tamen rationem quare a Grotio recedamus, capere non licet, quamuis enim existimet Dn. Pufendorfius minus congrue dici, eandem rem diuerso respectu propriam & communem esse, id tamen nobis congruum satis videtur, siquidem haud raro res quædam ob duplicem respectum diuerso plane iure censentur. Imo distinguenda sine dubio aqua fluminis, ab ipso flumine; certe non est aqua fluminis eadem numero, quæ antea fuit, sed alia atque alia. *Vacon. a Vacuna l. 1. declar. 11. n. 4.* contra flumen vbique vnum manet idemque, *Aristoteles 3. Pol. 2. Ziegl. de Iur. Maiest. P. 2. c. 15. n. 7.* Non igitur dicit Grotius, aquam in flumine nunc profluentem ad Principem spectare, quæ enim profluit aqua, nostra non est,

Nec

Nec quæ præterit unda, redire potest,
 sed flumen ipsum, in forma sua integra sumtum, Prin-
 cipis dicit, ius vero hauriendi aquam profluentem pri-
 vatis adscribit: conf. idem Grot. *lib. 2. c. 9. §. 3. n. 2.* Et ex
 isto Grotii loco explicanda etiam est *L. 2. §. 1. ff. de Rer.
 Diu. l. 24. pr. ff. de damn. inf.* alique textus, in quibus di-
 citur, naturali iure fluminis vsum omnibus ex populo
 competere.

§. X. Imperii nostri Principes & Status quod atti-
 net, idem plane iuris circa flumina iis tribuendum es-
 se, quod absolutis Principibus Regibusque competit,
 neminem facile in dubium hodie vocaturum existimo:
 Vbi quidem non assero, esse id effectum Maiestatis,
 quam illi proprie non possident, sed exercent tamen
 illud ius vi superioritatis territorialis, qua idem, si non
 amplius, posse dicuntur in suo territorio, quam Impe-
 rator in Imperio. Knichen *de Iure territ. c. 1. n. 361.* Mart.
 Mager. *de Advocat. arm. c. 6. n. 4.* Vdalr. Zasius *l. 2. conf. 1. n.
 24.* Wesemb. *l. 1. conf. 27. n. 24.* Casp. Klock. *de Contribut. c.
 4. n. 144. seqq.* Hinc est, quod Statibus Imperii fere Re-
 gia maiestas tribuatur, ita vt plerorumque Dd. calcu-
 lo stipata sententia sit, quod in absolutis Regnis Maie-
 stas dicitur, id in Statibus Imperii ius territoriale quo-
 dammodo permittere, quod argumentum prolixè per-
 sequitur Herm. Stam. *tr. de Seruitut. person. l. 3. c. 10. n. 30.
 seqq.* Conf. Reink. *de R. S. & E. l. 1. class. 4. c. 16. n. 10.* Bocer.
de Collect. c. 4. n. 6. Myler. ab Ehrenbach. *de Princip. Imper.
 P. 2. c. 36. n. 8. seq.*

§. XI. Quicquid E. utilitatis ac commodi ex flu-
 mine hauriri potest, id ad Principem spectare, ex ha-
 ctenus dictis fluit, ita ius piscandi, vi iuris sibi in flumi-
 ne competentis, recte prætendit Princeps. Io. Gryphi-

ander *de Insulis* c. 12. n. 8. Quamuis enim Jure Gentium cuiusvis potestas capiendi pisces competere videatur, quod in Adamo toti generi humano animalia cuncta Deus subiecerit, ac ita iure legitime quæsito non priuandi fuissent subditi, cum de iure ciuili quoque omnibus piscandi ius competierit §. 2. *Inst. de R. D. l. 1. §. 2. ff. de A. R. D.* ob quam causam etiam non posse Principes omnibus priuatis piscationes interdicare, sed illis tantum, qui vectigal soluere recusant, existimat Marc. Ant. Peregrin. *de Iure Fisci. l. 1. tit. 1. num. 22.* a quo non dissentire videtur Herm. Vulteius *de Feud. l. 1. c. 7.* Interim tamen cum non absolute id Gentium iuris, qua talis, h. e. qua præcipit vel prohibet, dici possit, quoniam ita ille contra ius Gentium peccaret, qui non piscaretur, quod sanæ rationi haud conuenit, sed permittantur saltem eo iure piscationes, & deinceps Deus etiam non pisces ipsos Adamo, sed potestatem eos capiendi dederit; dubium non est, quin sua concessione & pacto hanc facultatem in Principem conferre licuerit, sicut etiam ius perfecte nobis quæsitum voluntate nostra in alium transferri posse, extra controuersiam est. Talem vero concessionem Principi a populo, cum primitus constituerentur Resp. factam esse, communis Politicorum sententia est, vti supra iam tum a nobis adductum. Conf. Io. Azor. *Institut. Moral. P. 3. l. 1. c. 13. §. 1. s. c. 16.* inde ius piscandi a redbitu piscationum non est distinguendum, quod tamen facit Georg. Mor de Nigro Monte *in Tr. de Iure venandi, aucupandi & piscandi* c. 7. n. 17. qui redbitus ad regalia refert, non ius piscandi: sed prout ipse diuersitatis rationem non dedit, ita nobis etiam eam inuenire non licuit.

§. XII. Eodem iure, quo flumina ad Principem
spe-

spectant, alueus etiam derelictus ei adscribendus, cuius enim est flumen, eius etiam vehiculum fluminis esse debet, certe priuatorum non est, quod Principis erat. Nec obest quod Iure Saxonico specialiter iuris ciuilibus constitutio, qua priuatis vicinis alueus adiudicatur, fuerit approbata. *Sandr. l. 2. art. 56. Carpz. P. 3 C. 31. d. 14. § 15.* quod etiam de iure Prutenico affirmat Dn. Hoppius in *Comment. ad §. 23. Instit. de Rer. Diu.* tales enim constitutiones particulares extra suas prouincias non sunt extendendæ. Conf. Perillustris Dn. de Fuchs in *Comment. ad Inst. §. 28. d. t.* Vnde & in veteri Marchia & hoc Ducatu Magdeburgico nobiles quosdam cum certa parte aluei ab Albi derelicti inuestitos esse, testatur Dn. Hoppius *cit. l. p. 273.* Quod si tamen ad priorem alueum reuertatur flumen, nouum alueum non Principi tribuendum, sed illis, quorum ager antea fuit, relinquendum, saltem æquitatis ratione existimo arg. *l. 7. §. 5. ff. de A. R. D. conf. Cyprian. Regner. ab Oosterga in Censur. Belgica ad §. 23. Inst. de R. D. Struu. S. I. C. Exerc. XLI. tb. 32. Bachou. ad Treutler. vol. II. Disp. 23. tb. 5. l. G. Cæpolla de S. R. P. cap. 34. num. 4.*

§. XIII. Quod de alueo dictum, etiam de illo, quod per alluionem agro vicino adiicitur, asserit Myler. ab Ehrenb. *de Princip. Imper. P. 2. c. 66. n. 8.* Sed id non aliter admitto, quam in sensu *l. 16. ff. de A. R. D. si sc. ager fuerit limitatus,* (quis vero olim dictus fuerit limitatus explicat Donell. *Comment. l. 4. c. 27. lit. E. & F. ibiq; Hilliger*) quia eo demum casu, quod per alluionem adiectum publico cedebat: Hodie autem Principes illud, quod olim publicum dicebatur, sibi vindicant. Nisi forte generalis quædam constitutio hac de re præcesserit, nam sic cum Mylero sentiendum, etiam in agris non limita-

44 CAP. II. DE FONTIBVS IVRIS
tis: Quia commoda futura subditis! Principes sine iniuria auferre possunt.

§. XIV. Insulas in flumine natas ex eodem fundamento Principi tribuunt Sixtin. *de Regal. l. 2. c. 3. num. 29.* Rutz, Ruland. *de Commissar. P. 4. l. 2. c. 12.* Quod testatur de insulis Rheni Meurer. in *Jagt- und Forst-Recht p. 5. fol. 102.* de insulis Albis, quatenus Electoratum Saxoniae transit, Ziegler. *de Iure Maiesb. l. 2. c. 15. §. 27.* quatenus autem Electoratum Brandenb. Albis tangit, eatenus Elector Brandenb. cuius ibi flumen est, insulas sibi vindicat: de insulis in Mulda natis, Heigius *l. 2. qu. fin. num. 39.* de insulis Rhodani per arestum Tholosanum (h. e. sententiam) Galliarum Regi adiudicatis, Bapt. Aym. *de Albiun. l. 2. c. 7. n. 7.* de aliis in Gallia insulis, Christin. *dec. Belg. l. 4. dec. 86. n. 6.* de insulis Lusitaniae, Molin. *de Iust. & Iur. tr. 2. d. 27. n. 4.* Id vero quod de insulis dictum, vix mihi aliter accipiendum videtur, quam in casu, quem proponit Gryphiander. *Tr. de Insulis c. 12. n. 18.* si sc. flumen aliquem alvei locum reliquerit siccum: Quod si enim appareat, eo ipso dum nascitur insula in flumine, decedere aliquid vicinorum agris, non puto recedendum esse a iure civili, quod ex hac ratione vicinis priuatis insulas addicit §. 22. *I. de R. D.* cum non censeatur Princeps ius priuatis legitime quaesitum auferre voluisse. *l. Nec anus. 4. C. de emancip. lib.* Quam ob causam Iure Saxonico etiam idem statutum reperitur. Landr. *lib. 2. artic. 56.* Proinde eo casu non proprietas insulae, sed iurisdictio tantum Principi tribuenda. Carpz. *P. 3. Const. 31. D. 31.* Gryphiander *d. tr. c. 14. n. 9.*

§. XV. Sed annon subditis ius molendina in flumine habendi competat, difficilior inspectio est, nec Dd. circa hanc quaestionem satis conueniunt. Quidam, & inter

inter illos Ziegler. *de Iur. Maiest. l. 2. c. 15. §. 32. & seqq.* subditis qui vicina prædia habent, potestatem ædificandi molam in flumine concedunt, si modo fluminis vsus non deterior reddatur, inde permissum Principistum saltem desiderari existimant, quando illud in ipsius præiudicium vergit. Alii cum Carpouio *P. 2. C. 4. D. 10.* absolute consentum Principis requirunt: quorum sententia nobis etiam videtur verior, & consensu plerorumque Dd. stipata, qui inter Regalia referunt ius erigendi molendinum. Petr. Anton. *de Petra de Fideicom. qu. 13. n. 180.* Phil. Knipschild. *de Iure Ciuit. Imperial. l. 5. c. 20. n. 35.* Rutg. Ruland. *tr. de Commissar. P. 4. l. 2. c. 13. n. 1.* Socin. *V. 3. Conf. 7. col. 1.* Conf. Anton. Tessaure. *Dec. 16. n. 13.* Iacob. de S. Georgio *in tr. feud. verb. & cum molendin. n. 3.* Idque naturali ratione constare credimus; supposito enim flumina esse Principis, non melius subditis ius in iis competet, quam priuatus in alterius priuati patrimonio prætere tendere potest. Myler. ab Ehrenbach *de Princip. Imp. P. 2. cap. 66. n. 7.* Inde ad molendinum exstruendum necessario ius fluminis requirit Iason. *ad L. Quo minus ff. de flum. qu. 24.* Nec stringunt, quas in contrarium afferunt rationes; nam palmarium argumentum est, quod quilibet in suo ædificare possit ad proprium arbitrium. *L. 8. & 9. C. de Seruit. l. 24. & 26. ff. de damn. inf.* alterum, quod res meræ facultatis nullo tempore excludantur, nisi ad prohibitionem ab alio interpositam *L. 41. ff. de acquir. vel amitt. poss.* Quod vtrumque facile admittuntur in thesi, sed in hypothese & subsumto nego, illa ad molendina in flumine publico exstruenda applicari posse. Quis enim asserat, priuatum, cum in flumine publico ædificat, in suo ædificare? Quis credat, meri arbitrii esse, in alieno quid facere absq; alterius concessione? Zieglerus sane

d. l. §. 38. vt has difficultates effugeret, tandem in *l. 24. pr. ff. de damn. infect. §. l. i. §. 12. ff. de flum.* præsidium quærere necessum habuit, quod miror excidisse tanto viro, qui tamen diuersitatem nostri status & Romani veteris non ignorabat. Conf. Scheplitz. *ad Consuet. March. P. 4. tit. 23. §. 1.* Io. Köppen *in Decis. qu. 20. n. 14.*

§. XVI. Portus etiam, locus sc. conclusus quo importantur merces & exportantur, non potest non fluminis naturam sequi, cum portus & fluminis eadem sit conditio *L. 4. in fin. ff. de rer. Diu.* prout communis sententia est. Bocer. *de Regal. c. 3. n. 128.* Rosenthal *de Feud. c. 5. concl. 31.* Petr. Gregor. *Syntagm. l. 3. P. 1. c. 14. n. 7.* Conrad von Einsiedel *de Regalibus c. 3. n. 54.*

§. XVII. Eodem iure Princeps solus potestatem ædificandi pontem habet: prout à Dd. etiam inter regalia pontes numerantur, Ziegl. *de I. Mai. l. 2. c. 16. §. 1.* Frider. *de Interdict. tit. 6. n. 51.* Bursat. *l. 2. cons. 142. n. 18.* Carpan. *Statut. Mediolan. p. 2. c. 253. n. 9.* Peregrin. *de Iure Fisc. lib. 1. tit. 1.* Ahasv. Fritsch. *tr. de Iure Pontium. c. 3. §. 3.* Id quod eo magis procedit, cum & fluminum & viarum publicarum iure id prætereundere possit Princeps: imo & ciuili iure priuatis non permittebatur extruere pontes *l. fin. ff. de flum. L. 1. ff. ne quid in loco publ. l. 2. §. 33. ff. eod. l. 2. ff. de itin. publ.* Nec dissimilis Pontonum ratio est, vulgo die Schiffbrücken oder Fehren/ qui eadem ratione Principis sunt. Ziegler. *d. tr. c. 16. §. 4.* Quale ius habendi pontones, *ripatica*, vocatur *2. F. 26.* prout recte putat Anton. *Disp. feud. 3. th. 7. lit. f.* Stypman. *de Iur. Marit. P. 5. c. 3. n. 11.* Hinc non satis commode *ripatica* explicantur, per vectigal, quod Principi soluitur pro transitu riparum, prout facit Carol du Fresne *in Glossar. Med. & insim. latin. Tom. 3. voc. Ripaticum,*

§. XVIII.

CATARACTARVM.

47

§. XVIII. Nec prætereundum est Ius Grutiæ vel Ratum, das Floß-Recht/Holz flößen/quod est ius traducendi ligna per flumen; & duplicis generis est, primo si maiora ligna Zimmerflöße connectantur, sed rude & absque fabrica, ac ita nauigii cuiusdam inconditi speciem præ se ferant, quod vno nomine appellatur, *Ratis*; Secundo, quando ligna minora Scheitflöße separatim & solitarie flumini committuntur, vt hac ratione ad certum aliquem locum secundo fluuio vehantur: Quo modo ex Saxonia ligna ad vsum Salinarum huius loci huc perferuntur. Quorsum conferri meretur integer tractatus Dn. Ahasueri Fritschi *de Iure Grutiæ vel Ratum*. Eo vero iure Princeps quisque in flumine, quod ipsius transit territorium, vi iuris territorialis sibi competentis gaudet, ac pro suo lubitu vti, illudque exercere potest. Myler. ab Ehrenbach *de Princip. Imp. P. 2. c. 66 n. 10*. Dn. Seckendorff. im Fürsten-Staat P. 3. tit. von dem Forstbann n. 4. ibi: Die Flöße ist ein solch Recht/welches niemand als der Landesherr/und dem er es vergönstigen will/exerciren kan. Ernest. Cothmann. Vol. 4. conf. 1. Befold. P. 5. conf. 239. Quod si tamen nemini damnum inferatur, nec nauigationes impediuntur, & princeps non interdixerit, deductionem ratium tacite priuatis concessisse videtur, prout de accolis Albis & Oderæ testatur Dn. Stryk. *in usu modern. Pandect. lib. 1. tit. 8. §. 13.*

§. XIX. Tandem & circa nauigationes ipsas libera disponendi potestas Principi non deneganda siue faciat aliquid ad promouendum, siue ad impediendum nauigationis vsum. Heig. P. 2. qu. ult. n. 19. Matth. Steph. *de Iurisdict. l. 2. P. 1. c. 7*. Rauchbar. qu. 23. per tot. Rosenthal. *de feud. c. 5. concl. 28*. Myler. *de Princip. Imp. P. 2. c. 66. num. 6.*

Illud

Illud autem, quamuis in casu, si prohibeatur nauigatio, nimis durum videatur, semper tamen pro Principe est præsumtio, quod nihil sit facturum, nisi ad promouendam vtilitatem publicam, nec subditis actiones Principum secundum suæ rationis normam, quæ sæpe fallax est, examinare permissum; idque hic eo magis obtinet, cum per supra deducta totum flumen sit Principis vt proinde in suo non minus ius Principi tribuendum, quam priuato, qui ex sola voluntate, nulla adiecta ratione, alterum ab vsu rei suæ arcere potest.

§. XX. Ex eadem potestate restringendi nauigationes fuit celebratum illud Ius Stapulæ, die Niederlage oder Staffel-Gerechtigkeit / de cuius vocis deriuatione vid. Guicciardinus in *Histor. Belg.* p. 181. Alb. Cranz. in *Vandalia* l. 8. c. 32. Wehner. *Obs. Pract. lit. S. verb. Staffels-Gerechtigkeit.* quod est ius compellendi nauigantes, ne vterius naues moueant, aut merces transferant, sed in ciuitate aliqua exonerent, vel soluendi vectigalis, vel vehicula aut naues mutandi, vel vendendi, vel denique censuram subeundi gratia. Conf. Marqu. de *Iure Mercat. lib. 2. c. 6.* Christoph. Lehman. in *Chron. Spirens.* lib. 4. c. 22. Hoc ius autem sine dubio Princeps in Rep. supremus suo iure libere exercere potest, cum nemo eum compellere possit, vt exteris liberum prorsus vsu fluminis & transitum præstet ad alias gentes, vbi proprii subditi commerciis indigent, maxime cum perinde esse possit peregrinis, an merces hic an alio loco vendant. Interim tamen non nego, parciores debere esse Principes in exercendis hisce iuribus, ne nimium grauent peregrinos, ac ita commercia sistant ac impediant. In Imperio nostro hoc ius illæ ciuitates exercent, quibus id in specie ab Imp. concessum

sum

sum *Limn. de I. P. lib. 2. c. 9. n. 130.* Gaudent vero hoc iure in *Rheno* Colonia Agrippina, Moguntia, Spira; in *Mosella*, Treuiris; in *Danubio*, Ratisbona, Ingolstadtum, Passauium, s. Patauia; in *Visurgi*, Brema; in *Albi*, Magdeburgum, Hamburgum; in *Viadro*, Francofurtum, *Limn. dict. loc. Marquard. cit. c. 6. n. 21. seqq.*

§. XXI. Ius Stapulæ in latiori sua significatione comprehendere etiam Ius Geranii, vulgo *Krahn-Ge-rechtigkeit* / nonnulli volunt; quæ iura tamen minime confundenda, sed probe distinguenda ab inuicem. Est igitur ius Geranii ius extrahendi per certum instrumentum, quod dicitur *Krahn* / merces ex nauibus, vt ita constet, an fraus vectigali facta fuerit: hoc vero in eo differt a Iure Stapulæ strictè sumto, quod vlterior translatio mercium non impediatur, sed cursum suum libere continuare queat nauta, modo merces prius perlustratæ fuerint. Contra in iure stapulæ vel nauis mutare vel merces ad tempus venum expone-re tenentur nauigantes. *Marquard. d. c. 6. n. 11.* *Ziegler. de Iur. Mai. l. 1. c. 42. n. 2.* *Klock. de Contrib. c. 11. n. 12.* *Stypm. de Iure maritim. P. 15. c. 2. n. 11. seqq.* Hoc vero ius illi Principi competere, qui ius exigendi vectigal habet, tam manifestum est, vt a nemine facile controuerti possit, nam cui finis concessus, media non sunt deneganda. *arg. l. 2. ff. de Iurisdict.*

§. XXII. Cum itaque intelligamus ad quem flumen & omne eius commodum pertineat, eodem conspectu cognoscimus, ex hoc fonte deriuandum esse ius extruendi cataractas, cum hoc ius, tanquam accessorium, suum principale sequatur. *Anton. Monach. Bononiens. Dec. 27. n. 4.* *Io. Franc. Leo in Thesaur. Fori Eccles. P. 2. c. 16. n. 70.* *Cassanate Consil. 55. n. 39.* Igitur id iuris illi

G

qui

qui in Republica supremus est. h. e. vel Principi, vel optimatibus, vel populo tribuimus. Quamuis enim hoc ius non in specie inter Regalia relatum reperitur, ad ipsum tamen regale fluminum pertinet; cum per cataractas promoueatur fluminis vsus & commoditas.

§. XXIII. Imperium nostrum quod attinet, non dubitamus ius illud Principibus, reliquisque Statibus Imperii, adscribere eodem modo, vti ius fluminum sibi vindicant, per ea quæ tradita sunt superius §. X. Sed tamen hic speciatim disquisitionem meretur, vtrum Principes Imperii iure exstruendi cataractæ gaudeant, vi feudi regalis, quod ab Imperio possident, an vero vi superioritatis territorialis? Videtur affirmandum esse primum, cum simul cum feudis maioribus omnia regalia in ipsos Principes conferri soleant, sequenti plerumque inuestituræ formula: Wir belehnen Euch mit dem Herzogthum / Landschaft / Landen / Leuthen / Lehn / Lehnshafften / Aemptern / Städten / Stücken / und Gütern / Zöllen / Geleiten / Schulden / Renten / Zinsen / Nutzungen / Gerichten Oberst und Niederst / Bergwerken / Saltzwercken / Wildbann / samit allen dergleichen Landesfürstl. Höheiten / Regalien / Herrlichkeiten und Gerechtigkeiten. Knichen *de Saxon. non prouoc. iur. verb. Ducum c. 4. n. 61.* vnde manifestum reddi videtur, vi feudi regalis, quod possident Principes, ius exstruendi cataractas ab iis exerceri.

§. XXIV. Ast si accurate res definienda est, potius huius iuris exercitium ipsis adscribo vi superioritatis territorialis, quæ sine dubio amplioem & excellentiorem reddit Principum imperii potestatem & eminentiam, ita vt Regibus etiam comparentur. Mau-
lius

lius *Loc. Commun. de Magistratup. 585.* Knichen *de Republica Disp. 12. Coroll. 8.* Quamuis igitur eo iure facultatem exstruendi cataractas Principibus competere diximus, quo iure in flumina sibi potestatem adscribunt, interim tamen ipsa flumina non solo regalium nomine possident Status Imperii, sed iure superioritatis territorialis. Perillustris Dn. de Rhetz *in Instit. Iur. publ. lib. 2. tit. 19. §. 2.* Deinde feuda regalia etiam cadere possunt in imperii ciuem mediatum, cum multi Comites vel Barones cum dignitate feudi regalis inuestiti reperiantur, qui tamen aliorum Principum Imperii sunt subditi & Landsassii. *Reichs-Abschied de an. 1548. §. 66.* Reinking. *de Reg. Sec. & Eccl. l. 1. cl. 4. c. 14. n. 40.* Mylerus ab Ehrenb. *de Princ. Imperii cap. 36. n. 7.* vbi tamen dici nequit, eosdem ius cataractas exstruendi habere; Imo incertum adhuc dubiumq; est, quænam iura proprie sint regalia, & quot sint? Quidam enim ducenta & octo, quidam quadringenta & tredecim numerant, Chassan. *de Glor. mund. p. 5. consid. 24.* Vt vel propterea tutius sit, ex superioritate territoriali hoc ius deriuare, siquidem plura etiam ad potestatem supremam & superioritatem pertinent, quæ tamen de regalibus non sunt, seu regalium indolem longe excedunt. Valascus *de Iure Emphyteut. quest. 8. n. 34.* Reinking *l. 1. cl. 5. cap. 13. num. 152.* Kolckius *de Contrib. c. 3. n. 152.* Denique prouinciam quidem atque territorium ab Imperatore habent iure feudi; sed territorialem superioritatem suo ac proprio iure, sc. consuetudine primum quæsitam, post Legibus imperii publicis confirmatam, sibi vindicare Principes, constat. *ex §. 1. art. IIX. Instr. Pac. v. libero iuristerritorii exercitio. §. 3. Cap. Leop. verb. Wegen hoher Landesfürstl. Obrigkeit hergebracht.* Confer. Perillustris Dn. de Rhetz *d. tr.*

lib. 2. tit. 2. §. 37. Illa vero distinctio inter territorium ipsum & iura superioritatis territorialis adeo manifesta est, vt negari a nemine queat, qui perspectam Status Imperii Romano Germanici conditionem habet. Quapropter licet de Principatu vel territorio Status Imp. investiantur; ipsa tamen superioritatis iura, postquam publicis Imp. legibus confirmata sunt, nunc eadem suo ac proprio iure exercent. Knichen *c. l. n. 886.* Nordermann *tr. de Iure Principatus concl. 87.* I. B. Myler. *de Princip. Imper. P. 1. c. 9. & P. 2. cap. 36.* Illustris Dn. Cancellarius noster Gothofredus de Iehna *Tract. de Rat. Status Disfert. 18. concl. 2.*

§. XXV. Quæ cum ita sint, non possum satis mirari, quare Io. Guilielmus Itterus *in Tr. de Feud. Imper. cap. 8. §. 16.* hanc sententiam, legibus ac conditioni Imperii ex asse conuenientem, in dubium vocare, & tanquam Dd. assensum haud meritoriam reiicere ausus fuerit, existimando, quicquid Principes Imperii iuris ac potestatis habent, ex feudali nexu dependere. Sane assensum nostræ sententiæ dudum præbuerunt Dd. ante citati, alique plures. Si enim iure suo exercent superioritatem territorialem Principes Imperii, sicut per LL. Imperii, & Instrumentum Pacis omnino exercent, vltro sequitur, quod eandem non habeant iure infeudationis, nam quis, obsecro, concedere, vasallum iure suo possidere feudum. Et nisi me omnia fallunt, videtur Itterus sibi ipsi non constituisse, eodem enim tractatu *Cap. 5. §. 3.* illorum sententiam improbat, qui Ducem vocant, qui de Ducatu, Marchionem qui de Marchionatu ab Imperatore investitus est: Ergo fatetur, non vniuersalem esse in Imperio feudalem nexum.

§. XXVI.

§. XXVI. Sed huic tam manifestæ rei quid opus est vt insistamus? redeo ad institutum, vbi, si illis quæ §. XXIV. allata sunt, colorem addere, ex iure ciuilitas est, videbimus, ibi etiam non omnia circa flumina omnibus licuisse indistinctim. Nam omnes de populo liberum fluminis vsum habebant, vti notissimum & supra ostensum: Ast exstruere in flumine nihil licebat, nisi consensu superioris, etiam si exstructum non impediat vsum publicum. *L. 50. ff. de A. R. D.* Vnde apparet, quamuis alias vsum fluminis liberrimum concesserint cuius Romani, res tamen maioris præiudicii, quorsum omnino exstructiones in fluminibus pertinent, eodem iure habitas non fuisse, vt proinde nos etiam peccaremus, si hoc ius ædificandi cataractas cum ipsis regalibus intrinsece coniungerimus, nec ab ordinario regalium vfu separaremus.

§. XXVII. Effectus eorum quæ modo tradita sunt, eo potissimum casu se exerit: si in quodam territorio alius territorialem superioritatem prætendat, alius vero regalia possideat. Vbi profecto non inutilis erit quæstio, cui concedendum sit ius exstruendi cataractas? Nec est, vt quis hic regerat, non magnam contentionem futuram, cum sumtus requirantur, si quis erigere cataractas velit, & sic ius illud oneri magis, quam comodo adscribendum: Is vero sciat, se rem non omnino tetigisse; nam experientia abunde testatur, multum vtilitatis non modo Reipublicæ conferre tales cataractas, sed easdem non leuiter augere redditus, locupletioremq; adeo reddere fiscum, vti præced. cap. §. XXXI. sufficienter, ni fallor, expositum. Proinde hoc casu non dubito, ius illud ei adscribendum esse, qui superioritate gaudet territoriali, cum res maximi præiudicii

non soleant cum regalibus in alium transire, sed ipsi superioritati cohærere; maxime cum per cataractas ius belli ac pacis haud parum promoueatur, dum & belli tempore milites ac subsidia bellorum de loco in locum transferri nauibus commode, & pacis tempore commercia subuehi per cataractas possunt: At belli pacisque iura nemo possidere potest, nisi is qui suprema potestate, vel simili iure in territorio gaudent.

§. XXVIII. Pariter & eo pertinet quæstio §. XXIII. & seq. proposita; vt ex hoc fundamento constare possit, an exstruere cataractas ille queat, qui a Principe Imperii de feudo aliquo regali cum omnibus iuribus connexis fuit, per modum subfeudi, inuestitus? Ad quam quæstionem negatiue omnino respondendum erit, si eorum sententia sequenda, qui existimant, regalia feuda a Principibus Imperii, nec in totum per modum subfeudi alteri concedi posse. Struu. *Synt. Feud. c. 12. th. 10. n. 6.* Schulz. *Synops. feudal. cap. 4. n. 21.* nec pro parte quota, Kohl. *tr. de Subfeud. cap. 2. n. 9. seq.* Ast licet sequamur eos, qui non modo partem, sed & integrum feudum regale alteri in subfeudum concedi posse, statuunt, quos inter præcellunt Rosenthal *de Feudis cap. 9. conclus. 44. n. 10.* Baldus *ad Authent. Et qui iurat. C. de bon. aut. iud. possidendis.* Mauritius *Posit. Feudal. Decad. XIII. pos. 7.* Io. Cöppen *Observat. Feudal. 3. n. 20.* quorumq; sententiam probat ac praxi Imperii conuenire asserit Itterus *de Feud. Imp. cap. 22. §. 5.* Non tamen propterea regalis simul dignitas in subuasallum transit, vtpote quæ a solo Imperatore conferri potest. Imo & eo casu ius Imperii ac superioritatis territorialis semper videtur exceptum, vti optime statuit Perillustris Dn. de Rhetz. *in Instit. l. P. l. 2. tit. 29. §. 1. & 2.* §. 29.

§. XXIX. Imo plus adhuc refert, probe confide-
 rasse, quo iure cataractas exstruendi potestas compe-
 tat. Quid enim si Princeps nobili feudum cum rega-
 libus concedat, & illi feudo flumen coniunctum sit,
 ac in specie de illa parte fluminis fuerit investitus va-
 fallus, an tum exstruere cataractas ipsi pro lubitu per-
 mitemus? Id vero statuendum foret, si iure regalium
 hoc ius censeremus. Ast neutiquam id sibi vindicare
 poterit vasallus, regalia enim, si a priuato possidean-
 tur, priuilegia sunt, hæc vero strictè interpretanda *cap.*
7. X. de priuileg. Accedit quod si Princeps nobili feudū
 cum regalibus concedat, illa saltem concessisse videat-
 tur, quorum vsus esse potest absque maiestatis vel su-
 perioritatis iure. Knichen *de Iure territor. c. 1. n. 342. seq.*
 Arnif. *de Iure Mai. l. 2. c. 1. n. 6. & c. 2. n. 3. & 7.* Carpz. *de Lege*
Reg. Germ. cap. 13. Sect. 2. n. 20. & seqq. Id quod non modo
 verum est, si regalia simpliciter concessa Rosenthal *de*
Feud. c. 5. concl. 13. n. 11. sed & quamuis addita sit in litteris
 inuestituræ clausula, *cum omnibus aliis*: nam eo ipso illa
 tantum regalia intellexisse videtur concedens, quæ
 cum expressis eiusdem indolis sunt. Bocser. *de Regal. c.*
4. n. 8. Cum superioritas territorialis nec possideri a
 priuato nec cedi eidem a Principe possit, dum perso-
 næ cohæret, & sic transferri in alterum nequit.

§. XXX. Quod hæctenus de Principibus Imperii
 dictum est, eius competere ius exstruendi cataractas, il-
 lud ad ciuitates quoque Imperiales pertinet, si per ea-
 rum territorium flumen aliquod transeat; nam & illæ
 Status Imperii sunt, ac propterea matriculæ inscriptæ
 reperiuntur. *Instrum. Pac. art. 11X. §. 4.* Klock. *de Contrib.*
c. 5. n. 55. Rutg. Ruland. *de Commiss. l. 5. c. 4. n. 41.* Io. Adam.
 Dapp. *de Ciuitat. Germ. c. 6. n. 8.* Hinc & superioritate ter-
 rito-

56 CAP. II. DE FONTIBVS IVRIS
 ritoriali gaudent Knipschild *de Iur. & priu. Ciuit. Imp. l. 2. c. 4. n. 17. seqq.* Myl. ab Ehrenbach *de Princip. Imp. P. 2. c. 36. §. 9. in fin.* saltem quod in ciuitatibus Imperialibus, loco die Landesfürstl. Obrigkeit / dicatur die Landes-Obrigkeit / siue des Landes herrliche Bothmäßigkeit *Rec. Imp. de An. 1555. §. Wo auch & §. Biewohl 59.* vt adeo ridenda sit opera Knichenii, qui *in tr. de Iur. Territor. c. 1. n. 304. seqq.* euincere conatur, ne regalia quidem ciuitatibus Imperialibus competere, quem tamen alii sufficienter refutarunt. Cont. Pruckmann. *de Regal. c. 4. n. 38.* Vultei, *de feud. c. 5. n. 7.* Knipschild *d. l. n. 17.* Cum igitur territorialis superioritas ad ciuitates imperiales pertineat, illa etiam eo pertinebunt, quæ illi iuri tanquam connexa cohærent: naturali enim ratione eius accessorium est, cui principale concessum. *L. 2. ff. de Iurisdic. Federic de Senis Cons. 163. in princ. & Consil. 186 pr. Alph. Villagut Tract. de extensione Legum, ubi de extensione legis correctoriae num. 17.* quod eo magis procedit, si accessorium plane a principali separari nequeat Steph. Gratian. *Discept. forens. Tom. 5. c. 839. n. 34. seqq.* Menoch. *de Presumpt. l. 3. pres. 97. n. 7. seqq.* Ast in supposito manifestum est, vt supra etiam §. XXIV. & seqq. ostensum, tam intime ius extruendi cataractas cohærere superioritati, vt hac denegata, illud etiam non competat.
 §. XXXI. De Nobilibus immediatis maior esse posset dubitatio, vttrum illis hoc iuris tribuendum? Sane pro Statibus Imperii haberi non possant. Strauch. *Diss. Exot. 4. tb. 22.* Dn. Kulpis *ad Monzamban. P. 2. c. 2. n. 14.* Nec enim ad Comitata vocantur. Gylman. *in Symphor. Tom. 1. part. 1. tit. 3. V. 7. n. 6.* nec in matricula Imperii reperiuntur. Goldast. *Constit. Imp. T. I. p. 143.* vt ita haud immerito ambigi possit, an eadem ipsis ac ceteris Imperii

CATARACTARVM.

57

perii Statibus iura vindicanda. Deinde iura etiam superioritatis territorialis iisdem non competere haud pauci iuris Dd. rectissime statuunt, inter quos potissima nobis est auctoritas Perill. Dn. de Rhetz *in Inst. I. P. l. 1. tit. 19. §. 17. & l. 2. tit. 1. §. 39.* Sed enim uero quicquid eius rei sit, non puto inique iis potestatem exstruendi habendique cataractas tribui, siquidem nobiles immediati, ut non vera superioritate gaudeant, simili tamen iure quodam fruuntur, ita ut eadem ipsis libertas circa religionem concedatur, quæ aliis imperii Principibus *Instr. Pac. Osnabrug. art. V. §. libera & immediata. 28.* Nec dubito, ius territorii, quamuis non formaliter, materialiter tamen, iisdem asserere cum Perillustr. Dn. de Rhetz *c. l.* Quibus fundamentis non ambigi amplius debet, idem ius exstruendi cataractas nobilibus imper. immediatis tribuendum.

CAPVT III.

De

IMPEDIMENTIS IURIS CATARACTARVM.

CONSPECTUS.

Connexio. §. 1. *An liceat canalem per fundum alienum ducere?* §. 2. *Sententia Pruckmanni, qui Principi inuito subdito ius in bona eius negat, examinatur.* §. 3. *In negotiis Principum utilitas publica presumenda.* §. 4. *An necessitas & utilitas concurrere debeant?* §. 5. *Molendinum in flumine habens, an cataractis contradicere possit?* §. 6. *An alterius ius piscandi obstet?* §. 7. *An utile dominium possessoris?* §. 8. *Quid si ipse vassallus de flumine inuestitus?* §. 9. *An Principes inuito Imp. cataractas exstruere possint?* §. 10. *An in flumine communi alter*

H

ius

ius prohibendi cataractam habeat? §. 11. & 12. Quid si canalis cataractæ per insulam ducendus? §. 13. An vicinus permittere teneatur, ut in ipsius fundo cataractæ exstruatur? §. 14. Navigationem vicinus impedire nequit. §. 15. An nuntiatio noui operis hic permissa? §. 16. Ius exstruendi in suo naturalis libertatis est. §. 17. Incommodum quod alterius subditi, ob subtractam vectura terrestris utilitatem, urgent, non attendendum. §. 18. nec priuilegium nundinarum opponi potest. §. 19. nec ius stapula §. 20. & 21. nec præscriptio §. 22. & 23.

§. I.

Postquam cataractarum fontes præcedenti capite indagauimus, illisque has exstruendi licentiam asseruimus, cuius imperio flumina subiacent, iam rei necessitas exigit, ut cataractarum impedimenta remoueamus, ne vel harum exstructioni mox ponatur obex, vel exstructa, via aut iuris aut facti, destruantur iterum. Quemadmodum enim ut plurimum in re tam eximiæ utilitatis varii varia quærunt præiudicia, & sic diuersis prætextibus, solam plerumque inuidiam pro fundamento habentibus, obesse communi bono cupiunt, ita pariter non desunt, qui se exstructioni cataractarum ex diuersis causis opponere & utilissimo huic operi impedimenta iniicere solent. De his itaq; præfenti capite agendum, videndumque quis habeat ius legitime prohibendi exstructionem cataractarum? Sive an ille, qui exstruere cataractas potest, id omni ioco & tempore possit?

§. II. Et primo quidem praxis docet quotidiana, quod sæpius in re propria non idem ius vbique habeat dominus; expediti enim iuris est, posse quemlibet, liberum rei suæ vsum pactis restringere. Hinc cum cataractæ in ipso fluminis cursu ædificari vix possint,

sint,

sint, sed in separato canali, dubium est, an liceat Principi eum canalem per fundum alienum ducere? Certe ex Principis voluntate bona sua possident subditi, adeo, ut tralatium sit, ius quæsitum priuatis nec ab Imperatore vi plenitudinis potestatis auferri posse. arg. *L. Nec auus 4. C. de Emancip. lib. Petr. Anton. de Petra tr. de Iure quæsito per Principem non tollendo*, Ut inde haud obscure videatur constare, nec per fundum priuati, eo inuito, canalem duci, eique partis cuiusdam terræ usum auferri posse. Verum licet hoc in genere verum sit, certe exceptionem meretur, si necessitas vel utilitas Reipublicæ aliud suadeat; publicis enim commodis priuata cedere, illi ipsi voluisse censendi sunt, qui in ciuilem cœtum coierunt. Hugo Grotius *de I. B. & P. l. 3. c. 20 §. 7.* Id quod communi Dd. suffragio corroboratum ac stipatum est, quorsum conferri potest Fern. Vasqu. *Contr. Illustr. l. 1. c. 5.* Sfort. Oddus *de Restit. in integr. qu. 99. n. 55.* Hieron. de Cæuallos *in Spec. aur. opin. commun. contra com. Tom. 2. num. 6.* Alb. Gentil. *de Potest. Regis absol. Diss. 1. Ant. Peregrin, de Iure fisci l. 1. p. 78. num. 26. seqq.*

§. III. Quæ quamuis in se satis certa sint ac verissima, miror tamen Franciscum Pruckmannum id vocasse in dubium in *Tr. de Regal. §. Soluta potestas cap. 4. effect. 5. n. 15.* existimando, nec ex causa publicæ etiam utilitatis Principem subdito inuito, rem ei propriam eripere posse; circa quam sententiam subsistendum paulisper erit, cum præiudicium faciat illis, quæ dicenda in posterum. Examinanda igitur sunt fundamenta, quibus eam sententiam superstruit Pruckmannus. Tria vero potissimum sunt, ut transeam leuiora: Primum ex *L. 11. ff. de Reg. Jur.* quod illud, quod

60 CAP. III. DE IMPEDIMENTIS IVRIS
nostrum est, ab q; nostro facto in alium transferri non
possit. Alterum, quod nemo debeat alterius causa præ-
gruari *c. 22. de R. I. n. 6.* Tertium, quod nec pater pro
filio, nec filius pro patre incommodum sentire cogatur,
per consequens, nec vnum ciuem teneri damnum
pati, vt commodo afficiatur alter. His vero argu-
mentis facile satisfieri potest, si accuratius exami-
nentur. Quod igitur primum attinet, quamuis Baldus
P. 1. cons. 127. n. 12. illi regulæ inhærendum esse tanquam
firmamento asserat, id tamen ipsi largior, si inter pri-
vatos res sit, non si cum Principe agatur; vnde etiam Dd.
hanc exceptionem istius regulæ formant, Ludwell. *in*
comment. add. l. 11. n. 17. Imo nec deficit factum, si non
expressum, tacitum tamen: Dum enim huius Principis
imperium agnoscit subditus simul se suaq; omnia eius-
dem arbitrio submittit, prout salus Reip. exegerit; inde
hoc ipso facto dominium in res suas Principis imperio
subordinat, & de illis pro bono publico disponendi fa-
cultatem indulget. Est itaque ius ex prima Reipubli-
cæ constitutione Principi quæsitum, quod, vt inuerta-
tur argumentum, nec a priuato Principi inuito auf-
ferri potest. Secundum argumentum minus aduersa-
tur, cum ciuis, cui pars terræ aufertur, non alterius, sed
sui ipsius causa grauetur, promouet enim vtilitatem
publicam, si autem Reipublicæ bene sit, priuatis male
esse nequit. Imo nec grauatur præ reliquis, cum illi
damnum hoc reparandum sit, id quod in hoc & simili
casu semper supponendum est. An vero id sumpti-
bus Principis, an reliquorum conciuium reparandum,
dicetur in cap. sequ. Ex quo principio etiam tertium
Pruckmanni argumentum corrui, nam si damnum
datum ipsi reparatur, sane non sustinet incommodum
pro

pro conciuibus. Et quamuis aliquod sustineret, id tamen non vnus aut alterius, sed totius Reipublicæ causa subiret. Hoc autem non nouum nec iniquum est, pro cuius enim salute vitam dimittere tenetur, cur non & bonorum subiret periculum. Et eo pertinet, quod eloquentiæ Romanæ pater grauitè differit. *L. 4. ad Herennium: Sapiens nullum pro Republ. periculum vitabit, ideo quod saepe fit, ut cum pro Republica perire noluerit, necessario cum Republica pereat. Et quoniam omnia commoda a patria accepta, nullum incommodum pro patria graue putandum est. Add. Gail. lib. 2. obs. 56.*

§. IV. Nostra igitur sententia, quod Princeps alveum siue canalem per fundum priuati deriuare possit, firmo plane talo stat, & eo certior redditur, cum alias Principi liceat bona priuatis auferre, quamuis non manifesto constet de vtilitate Reipubl., siquidem quicquid agit Princeps, præsumitur ex iuste causa agere. *Guilielm. Redoan. tr. de Reb. Eccles. non alien. qu. 7. num. 18. Petr. Ant. de Petra de Iure quesito per Principem non tollendo c. 32. qu. 6. per tot. Hoc certe nostro casu id tanto magis Principi permittendum, quo clarius constat, eo ipso vtilitatem publicam insigniter promoueri, uti sub fine cap. I. prolixius traditum; vnde est quod Baldus in l. 1. C. qui ex caus. seru. & Felinus in cap. que in Ecclesiarum X. de Const. n. 28. asserunt; Principem vel superiorem posse facere fossam in agro alieno. Et nostrum casum de cataractis in terminis habet, & eadem ratione decidit Dn. Ahasuer. Fritsch de Iure Grutia vel ratium c. 5. Sect. 2. num. vlt.*

§. V. Notanter vero dixi supra §. II. ius hoc in priuatorum bonis competere Principi, si necessitas vel vtilitas Reipublicæ illud suadeat, hæc enim locum facit

eminenti illi siue dominio, siue imperio, quod nobis in effectu perinde est, vi cuius in bona subditorum Princeps ius habet, de quo Grot. *de I. B. & P. l. 2. c. 14. §. 7.* Sed necessitatem & utilitatem studio per vocem vel separauimus, nec enim existimandum est, tum demum Principis supereminens ius se exserere, cum summa adest necessitas, siquidem nec res hæc in moralibus tam perfecte definiri potest, & si posset, sero nimis remedium pararetur, vbi iam proxime ab interitu abest Respublica, sed suos utique habere gradus debet, neque vltimus semper eius articulus sumendus, Dn. Pufend. *de I. N. & G. l. 8. c. 5. §. 7.* Inde utilitas siue salus publica sufficit, vt dominio eminenti locus sit, quamvis non vltima adsit necessitas; nam vt in eum statum res deducatur, Princeps permittere non debet. Ast bene etiam obseruandum, utilitatem hic non talem intelligendam esse, quæ ad pleraque omnia ciuilia instituta pertinet, sed eam requiri, quæ commodum Reipublicæ palam ac insigniter promouet. Bœclerus *ad Grotii l. 1. c. 1. §. 6. in notis.*

§. VI. Videamus porro, an illi, qui molendinum in inferiori parte fluminis habet, ius prohibendi exstructionem cataractarum competat, si forte per illam vsus molendini ipsi auferatur. Equidem posse commodissime exstrui cataractas, ita vt vicinis molis nihil aquæ auferatur, facile patet; cum molæ in flumine, cataractæ autem in canali vicino exstruantur: cuius exemplum manifestum hic locorum quotidie oculis vrsurpari potest, in vicino pago *Trota* dicto, vbi mola & cataracta proxime ab inuicem distant: Pariter in vicina cataracta Hallensi, vbi molendino Gimrizenfi ea-
pro-

propter nihil decedit. Ast cum non eadem vbique sit loci conditio, vt vtriusque ratio commode simul haberi possit, maxime si aqua per aggeres lapideos deriuetur ad molam, qui aggeres forte rumpendi, si nauigari in flumine debeat, hinc existimo, non inutilem esse hanc quæstionem, nec decisio eius adeo plana & extra dubium est. Constat enim, hodiernis temporibus in plerisq; locis molendina in flumine, quamuis, proprium fundum præterfluat, haberi non posse, nisi Principis accedente consensu & confirmatione Frider. *de Interdictis tit. 6. n. 66. & de mandat. l. 2. c. 38. n. 14.* Hahn. *ad Wesenbec. l. 43. tit. 13.* Io. Köppen *Dec. 20. n. 40.* Modest. Pistor. Andr. Rauchbar. *P. 1. qu. 27. n. 9.* confer. Bocer. *de Regal. c. 2. n. 165.* Arnif *de Iur. Maiest. l. 3. c. 3. n. 5. seqq.* Forster. *Tr. de Dominio c. 9. n. 14. seqq.* Harprecht *ad §. 2. I. de R. D.* Vnde non desunt, qui id ipsum inter regalia eo respectu referunt Fr. Stypmann. *de Iur. marit. P. 2. c. 5. n. 174.* vid. supra §. XV. Quæ cum ita sint, non potest Princeps alteri concedere ius habendi molendinum in superiori parte fluminis, si damnum inde sentiat inferioris molendini dominus, quia per priorem confirmationem primo ius quæsitum, quod ita temere non auferendum, Fr. Stypmann. *de Iure marit. & naut. P. 2. c. 5. n. 157. seq.* Bocer. *d. c. 2. n. 168.* Wesenbec. *P. 1. conf. 34.* quem autem actum Princeps non potest confirmare, eum nec potest ipse celebrare. Sed salua res est; non potest id *temere*. Aliud igitur, si salutis publicæ causa alterius molam destruat, ex fundamentis in præcedentibus §§. suppeditatis, modo damnum, quod suppono, resarcia-
tur.

§. VII. Ex eodem fundamento fluit, nec illis pri-
vatis

64 CAP. III. DE IMPEDIMENTIS IVRIS
vatis ius prohibendi competere, qui eo loco, vbi cata-
ractæ exstruendæ, priuilegio piscationum gaudent,
forte quod id Princeps eis concesserit; nam absque eius
concessione ius piscandi priuato competere non posse,
hodie manifestum est. *Sixtin. de Regalib. l. 2. c. 18. Styp-*
mann. de Iure marit. P. 5. c. 4. n. 11 Dn. Ziegler. de I. Mai. l. 2.
c. 15. §. 23. vbi hoc ipsum nulla iniquitate laborare, con-
tra Marcum Antonium Peregrinum & Hermannum Vulteium,
ostendit. Vtut igitur alias Princeps proprio suo facto
contrauenire non possit, sed eo pariter vt priuatus sta-
re teneatur, quo illud Dd. assertum pertinet, Principem
in contractibus vti iure priuatorum, Myler. ab Ehren-
bach *Nomol. Princip. Imp. c. 2. §. 3. summam tamen vbique*
exceptionem parit vtilitas publica, cum & huic qui in-
commodum sentit, illud reparari debeat. Conferri me-
rentur, quæ in simili reperiuntur penes Dn. de Secken-
dorff im Fürsten-Stat. *tit. von den Forstbann und Wald-*
Nutzungen. Dn. Ahasu. Fritsch. tr. de Iure Grutia vel ra-
tium cap. 3. num. 5.

§. VIII. Eandem decisionem meretur quæstio, an
Princeps exstruere cataractas possit in illa parte flu-
minis, quam alteri in feudum dedit? Ea vero pri-
mo intuitu, neganda videtur, cum non modo omnis
vtilitas feudi vasallo sit concessa, & ita dominus in va-
salli præiudicium nihil efficere possit; sed etiam iu-
re ciuili manifeste cautum legatur, quod dominus di-
rectus, ne quidem consentiente vsufructuario, seruitu-
tem imponere, & commodum eius interuvertere possit
L. 14. §. fin. ff. de Vsufr. multo minus idem domino dire-
cto concedendum, inuito vsufructuario; non enim li-
cet proprietario causam siue conditionem fructuarii de-
teriore facere. L. 15. §. 6. & seqq. ff. de Vsufr. Interim ta-
men

men si vasalli dominus illud damnum, quod ex eiusmodi exstructione cataractarum ei conciliatur, resarciat, non video, quo iure id prohibere possit vasallus; si quidem tum de interuersa utilitate conqueri non potest, & si aliquod adhuc sentiret incommodum, illud salute publica pensatur, citata vero *L. 14. §. fin. ff. de Vusufr.* non modo in feudis locum non habet, sed & plane mira est eius decisio, vti Icti loquuntur, nec hodiernæ praxi imperii conuenit, vbi quodcunque inter partes conuentum, subsistit.

§. IX. Sed videntur his non leuia obiici posse; primo enim verba in inuestituris deprehensa, mit *Wassern / Flüssen / allen Nutzungen* &c. generalia sunt, & omnem fluminis vsum continent, *Scheplitz ad Consuet. March. l. 4. c. 22. §. 2.* Deinde, quod, si quis flumina ex concessione Principis teneat, perinde ea possidere videatur, prout erant apud Principem *P. Heig. p. 2. Ill. quest. 40. n. 18. Fr. Stypmann. de Iure Marit. p. 1. c. 8.* Sed nec his defunt, quæ responderi possunt; cum enim flumen eiusque commoditates vasallo conceduntur, illæ intelliguntur, quæ ordinarie percipi solent, res enim maximi præiudicii specialiori expressione opus habent; Quod ad alterum pertinet, non possumus id ita generaliter concedere, cum exinde variæ conclusiones, non parum absurdæ, deduci possent, ita v. g. sequeretur, etiam alienare ius in flumen posse vasallum, quia Princeps id poterat, vt plura nunc taceam.

§. X. Sed hic videtur maius dubium ex hac decisione oriri, & quod fundamentum totius dissertationis nostræ subuertere valeat, sc. admissa illa sententia, quod vasallus non possit absque consensu Domini, bene tamen hic inuito vasallo, cataractam exstruere, facile

facile quisquam subsumere posset, non modo Principes Imperii consensum Imp. prius implorare teneri, quam cataractas exstruant, sed & Imperatorem ipsum posse easdem in territoriis principum ipsis inuitis ædificare, cum nexus inter Imperatorem & Principes pariter feudalis sit, & sic quæ de vasallis alias asseruntur, ad Principes etiam applicari posse, videantur. Sed enimvero quam etiam hæc speciosa appareant, nihil tamen quidquam efficiunt; nec enim simplices vasalli sunt Imp. Principes, sed insuper analogo maiestatis iure gaudent, uti supra, h. cap. §. XXIV. & seq. ni fallor, sufficienter traditum. Argumentum itaque a reliquis vasallis non ulterius ad Principes applicari potest, quam in quantum eorum eminentiæ ac superioritati nihil detrahit, ut adeo Imperatoris consensum ad exstruendas cataractas nullo modo requiri, multoque minus imperatorem in territorio Principum imperii eas exstruere posse opiner. *arg. Capit. Leop. §. 13. in fin.* Confirmata enim satis Principum Imperii iura sunt in Capitulationibus Cæsareis, & promisit Imp. quod in illorum exercitio Status imperii non turbare, sed defendere velit, *Capitul. Leop. §. 3.* Imo Principibus permissum, ut in iuribus superioritati annexis via facti se defendant. *Cap. Leopold. §. 7.*

§. XI. Pergamus nunc & consideremus paulisper, annon quibusdam casibus vicini ius aliquod prohibendi prætereque queant? Vbi plures moueri controuersia possent, quarum præcipuas hic tetigisse sufficiet. Et quidem si flumen duobus commune sit, mox oritur dubium, an alter inuito altero condomino cataractam in flumine exstruere possit? Hinc vero antequam satis fiat, præliminaris quæstio decidenda, quando flumen
dici

dici possit commune? Equidem regulariter, si flumen quoddam duorum diuersorum Principum territoria præterfluat, præsumitur illud in dubio vtriq; commune esse, Barthol. Cæpolla *de Seruit. rust. præd. cap. 31. n. 14.* Hieron. de Monte *tr. de finib. regend. c. 24. n. 9.* sed id perpetuum non est, poterit enim etiam hoc casu vnus fluminis dominus esse, alter vero nihil iuris in eodem habere, veluti si flumen ab vno populo iam occupatum fuerit, antequam alter populus alterius ripæ dominium acquireret, aut quia eum in modum res pactionibus esset definita Hug. Grotius *de I. B. & P. lib. 2. c. 3. §. 18.* Id quod exemplo Romanorum in notis *ad d. l.* comprobatur clarissimus Gronouius. Addatur celeberrimus Vi-triarius *Inst. Iur. N. & G l. 2. c. 3. qu. 17.* Ita Rhodanus fluvius regnum Franciæ ambiens, licet Sabaudia Ducatui & pluribus aliis territoriis adhæreat, Rex tamen Franciæ iurisdictionem in eo sibi adscribit, & in possessione est, teste Boërio *cons. 24. n. 15.* Eadem ratione lacus Benacus siue Gardæ inter agrum Brixianum & Veronensem situs est, & tamen Veronensium esse dicitur, Bart. Cæpolla *de S. R. P. c. 26. n. 9.* Simile quid de flumine Olii asserit Hieron. de Monte *de Finib. reg. c. 24. n. 11.* Et quid multis exempla ab exteris repetimus, vicinum habemus in Albi fluuio, qui paulo inferius ab vna parte Brunsvicensis, ab altera Brandenburgensem ripam habet, & tamen ibi regale fluminis solus ab immemoriali tempore, possidet Elector noster serenissimus. Imo interdum ius nobis in flumen competere potest, quod alienum transit territorium, veluti præscriptione aut concessione, vid. Dn. Ahasv. Fritsch. *tr. de Reg. viar. publ. iur. c. 4.* vti Elector Palatinus in flumine Weich / qua territorium Lindauense perfluit, sibi vindicat ius piscandi, teste Klock. *P. 1, cons. 29. n. 196.*

§. XII. Posito nunc, flumen duobus dominis, qui ab utraque ripæ parte territorium habent, commune esse, videtur absque dubio afferendum, alterum inuito altero cataractam exstruere non posse, cum expediti iuris sit, in re cõmuni potiore esse conditionem eius, qui quid fieri prohibet. *L. Sabinus. 28. ff. comm. diuid.* Quod Dd. eousque ampliare solent, vt (1) nemini dominorum mutare quidquam liceat, etiamsi formam rei communis in melius transferat. Heet. *Felic. de Societ. cap. 28. n. 16. & 55. Ruin. V. 1. cons. 134. n. 4. Surd. cons. 447. n. 15.* & (2) vnus plurium condominorum sententiam sequi non teneatur, sed ab vno omnes prohiberi possint, *Ant. Gomez. var. resol. tom. 2. c. 3. n. 14. Tessaur. Dec. 41. n. 20. Gail. de Pign. obs. 20. n. 3.* Sed quicquid tamen eius sit, non existimo ius prohibendi competere condomino fluminis, quo minus alter cataractam exstruat. Nec enim præallegata *L. 28.* suis destituitur exceptionibus, quarum potissima est, si publicæ intersit fieri, quod vnus ex sociis fieri prohibet; cum semper publicæ potior, quam priuatæ vtilitatis causa esse debeat *Dionys. Gothofred. ad L. 51. S. f. ff. ad L. Aqu. in verb. vtilitate. B. Dn. Petr. Müller in Comment. ad Struon. Synt. I. Ciu. Exercit. 15. th. 26. lit. 9.* Ast quid magis publice interest, quam flumina nauigabilia reddi & promoueri commercia. Hinc prior ampliatio Dd. supra adducta, vel ad hunc casum non pertinet, vel ita intelligenda, si tota rei forma mutanda sit, quod tamen per cataractæ exstructionem minime contingit. Potius perficitur per eam flumen, & ad illum vsum aptum redditur, ad quem destinatum est a Deo huius vniuersi creatore, quibus casibus pariter inuito & prohibente socio rem communem reficere. *L. 12. ff. commun. diuid. L. 32. & 41. ff. de damn. infect.*

Mor-

Mornac. *ad l. 1. § 1. ff. Commun. diuid.* & ad debitum vsum
 adhibere licet. Honded. *vol. 1. conf. 80. n. 33.* Mev. *ad Ius Lu-*
bec. l. 3. tit. 12. art. 4. n. 6. Surdus *Conf. 126. n. 12.* etiam si alter
 interesse aliquod prætere possit. Sande *lib. 3. tit. 8.*
def. vn. B. Brunnem. ad d. l. 28. ff. Comm. diuid. n. 6. Vt pro-
 inde in hoc casu sententia nostra eo magis procedere
 debeat, cum condominus ex cataractæ extractione
 nullum incommodum sentiat. Add. Frommann. *de*
Condominio. thes. 5. Denique non potest facile hoc
 contingere, cum cataractæ in ipso flumine rarissime
 exstruantur, sed in terra continenti & speciali alueo, ad
 id confecto, per quem postea aqua ducitur; idcirco
 reuera flumini nihil decedit, vt sic condominus, quod
 conqueratur, non habeat. Interim tamen ne frustra
 hæc ipsa attulisse videamur, sciendum est, posse tamen
 interdum tales casus contingere.

§. XIII. Ex modo dictis aliud adhuc oritur dubi-
 um, sc. si canalis ille vel riuus ducendus esset per in-
 sulam in flumine existentem, quam ambo vt commu-
 nem possident, an & hoc permissum sit contradicente
 socio? Hic certe, cum ipsa rei forma mutetur, hanc li-
 centiam alteri, inuito altero, non permittendam esse,
 dicendum videtur. Ast non vereor & hanc quæstio-
 nem affirmare, partim ob commodum nauigationis
 quod exinde resultat, cuius fauor etiam in iure ciuili
 insignis est; partim quod alteri interesse, si quod præ-
 tendit, resarciatur, vt adeo & huc applicari possit re-
 gula; Exceptio tua non intererit, repellit omnem a-
 gentem. Petr. Peck. *in c. 56. de R. I. in 6. n. 7.* nam frustra
 aliquid impedire vult, qui interesse docere non potest.
 Mev. *P. 4. Dec. 276.*

§. XIV. Imo plus ultra adhuc progrediendum, si quidem persuasus sum, posse etiam eum Principem, qui nauigationem restaurare intēdit, compellere vicinum, vt patiatur riuum per ipsius fundum duci, & ibi extrui cataractam, si forte id aliter fieri occasio non permittat. Quæ sententia, quam etiam dubia cuiquam videri posset, suatamen veritate firmissime constat, quod vt comprobem, in scenam producendus est Paulus Iureconsultus, qui in *L. in summa 2. §. item Varus. s. ff. de Aq. & aqua. vicino* permittit, aggerem vi aquæ ruptum in vicini fundo reficere, nec alterum id prohibere posse, si agger factus mihi prodesse possit, ipsi vero nihil nociturus sit, vbi vere aurea addit verba: *hec equitas suggerit, etsi iure deficiamus*; placuit enim in omnibus præcipuam esse iustitiæ æquitatisque, quam stricti iuris rationem. *L. Placuit. 8. C. de Iudic.* Nec ouum oue magis videtur simile, quam Pauli sententia nostræ, quamuis ille de aggere, nos vero de cataracta loquamur. Nam id voluit Ictus, sæpius nobis ius aliquod competere, in alieno, si id quod intendimus, absque alterius damno, sed cum nostro insigni augmento fiat; & quamuis stricto iure alter forte nobis quadantenus resistere possit, æquitatem tamen hic præferendam a iudice esse, add. *L. 38 ff. de Euct. & l. 21. ff. de Interrog. in iur. fac.* Quam Pauli sententiam interpretes pro generali regula vnanimiter receperunt. Heig. *P. 1. qu. 38. n. 45.* Cephalus *lib. 5. Conf. 702. in fin.* Berlich. *P. 2. concl. 22. n. 70.* Brunn. *add. l. 2. ff. de aqu. num. 5.* Interim tamen si vicinus ipse propriis sumptibus cataractam extruere velit, hoc ipsi potius permittendum.

§. XV. Quæ cum ita sint, multo minus aliquod ius prohibendi prætere vicinus potest ex eo, quod na-

ves

ves ipsius territorium præterire debeant, quid enim exinde præiudicii, quid incommodi elici potest, quod naues iam conspiciantur in flumine, secus ac olim? Ipse itaque vtatur simul vtilitate nauigationum, & si hæc ipsi impediatur, de eo occasionem conquerendi habebit. Certe non abs re dixit Franc. Stypmann. *de Iure Marit. & Naut. P. 2. c. 5. n. 224.* ita intelligendam esse Principum in fluminibus potestatem, ne quibusuis gentibus innoxius plane, sed toti societati humanæ vtilis vsus, adimatur. Hinc non absurde flumina respectu nauigationis non spectare ad Principem, dixerunt Surd. *Cons. 321. n. 33. seqq.* & Heig. *lib. 2. qu. 40. n. 125.* saluis scilicet teloniis. Ex qua ratione, si vnus ex Principibus Imperii alteri nauigandi facultatem denegauerit, in Camera Imperiali mandata sine clausula contra impedientem decernuntur. vid. Matth. Stephan. *Tr. de Iurisdict. lib. 2. P. 1. c. 7. n. 413. seqq.* Rosenth. *de Feud. c. 5. concl. 21. n. 2. & seqq.* Recte propterea Grotius asserit, flumina patere debere his, qui transitu opus habent, ad causas iustas, *de I. B. & P. l. 2. c. 2. §. 13.* Vix enim, inquit Pufendorf. *de I. N. & G. l. 3. c. 3. §. 6.* inueniri poterit probabilis prætextus, vt quis negare velit iter nauibus inermibus, per apertum mare (& sic etiam per flumen) ditioni nostræ subiectum, ad tertium pacatum tendentibus. Et eo respectu fluminum & viarum publicarum regale conuenire iure & nomine, dicit Dn. Conradus von Einsiedel *tr. de Regalib. c. 2. n. 279.* ita vt vtriusque vsus Iure Gentium publicus sit. Molin. *cons. 14. n. 2.* Marc. Ant. Peregr. *de Iure fisci. l. 1. c. 1. n. 27.* Surdus *cons. 34. n. 39. & seqq.* Hinc vsus fluminis denegare, vbi transitus, qui prodest transeuntibus non nocet domino, iura humanæ societatis non pati, testatur Augustinus *ad cap. 20. Num.* Add. Io. Loccen. *de Iure*

Iure marit. l. 1. c. 6. §. 2. Dummodo vsus fluminis, vt dixi, plane innoxius fit, si enim forte appellere velint nau-
tæ, & hac ratione, vel etiam alio simili modo, damnum conciliare domino territorii, huius reparationem me-
rito prætere, aut etiam cautionem hoc nomine exi-
gere potest. Quod si itaque vnus saltem ripæ dominus sit, qui prohibet nauigationem, plane nullum inuidiæ suæ colorem conciliare potest. Sic enim, vt dixi, flu-
men commune est, & hinc neutri ex sociis nauigatio interdicenda, ad hoc enim flumina comparata sunt, vt nauigationibus inseruiant: imo si vellet alter prohi-
bere alterum, non tamen id vltius posset, quam ad medium fluminis, nam eousque saltem iurisdictionem & potestatem cuiusque se extendere, si duo di-
uersi ripæ domini sunt, statuunt Barth. *Cæpolla de Ser-
uit. rust. præd. c. 31. n. 14.* Hieron. de Monte *Tr. de finib. reg. c. 24. n. 9.* Iacob. de S. Georgio *Tr. feud. verb. ibi fluminib. n. 7. seqq.* Georg. Mor. de Nigro Monte *tr. de iure venandi, aucupandi & piscandi cap. 7. n. 8.* Proinde liceret tamen alteri in sua parte fluminis nauigare, vel etiam si tertius nauigaret, ei non posset vnus ex sociis, quibus flumen commune est hoc prohibere, sed vterque simul; quam-
vis, si id fieret, contra LL. humanitatis & innoxie vti-
litatis insigniter peccaretur.

§. XVI. Reliqua dubia faciliora sunt, nam si is qui condominus est fluminis, ius prohibendi non habet, multo minus habent alii, quibus nullum in flumine ius competit. Sed diceres, cuiuslibet vicino licere nouum opus nunciare alteri, si aliquid in eius præiudicium faciat, adeo, vt nec causa nunciationis exprimenda neces-
sario sit, imo siue iure siue iniuria opus fiat, per nuncia-
tionem hoc inhibere licere, sancitum in LL. est. *L. 1. §.*

tit. ff. de Nou. op. nunc. Sed absit, vt cuiuslibet vicino opus alterius nouum nunciare sit permissum, nam certe iniquior non reperiri posset iuris constitutio, & quæ bonum publicum haud leuiter turbaret; nullum enim erigi posset ædificium, vbi non hinc inde aduolarent operis noui nunciatores, & sic ruinis potius daretur occasio, quam bonum publicum promoueretur. Certam itaque præscriptam formam habemus, quam nobis exhibet Vlpianus *in L. 5. §. 9 ff. de nou. oper. nunc.* cuius hæc verba sunt: *Et belle Sextus Pedius definit, triplicem esse causam operis noui nunciationis, aut naturalem, aut publicam, aut imposititiam: Naturalem, cum in nostras ædes quid immittitur, aut ædificatur in nostro. Publicam causam, quotiens leges aut Senatusconsulta constitutionesque Principum per operis noui nunciationem tuemur. Imposititiam cum quis, posteaquam ius suum deminuit, alterius auxit, hoc est, postquam seruitutem ædibus suis imposuit, contra seruitutem fecit. Quotiescunque igitur vel alter in re nostra quid facit, aut publico, nocet, aut contra seruitutem mihi debitam agit, toties opus nouum nunciare licet, alias nunciatio nullius momenti est. Franc. de Clapperiis *caus. 22. qu. 1. n. 2.* Ast re bene perpensa, neutrum ex his requisitis contra exstructionem cataractarum vrgeri potest, si alter easdem in suo flumine exstruat; proinde cessat etiam ius prohibendi, cum nec nunciatio locum habeat, si in ædificio versetur publica vtilitas. Riminaldus *l. 2. cons. 134. n. 12.* Mindan. *de Processu l. 2. c. 31. n. 9.**

§. XVII. Cætera, quæ moueri contra cataractas a vicinis solent, leuioris momenti sunt, & sponte corruunt, si ius illius, qui cataractas exstruit in suo flumine, attendatur. Quilibet enim in suo solo, & sic quoq; in suo flumine, ædificare atque exstruere potest, quid
 K
 velit

74 CAP. III. DE IMPEDIMENTIS IVRIS
velit Dd. in *L. Altius. 8. C. de Seruit. Alexand. Vol. 2. cons. 174. n. 1.* Socin. Sen. *Vol. 1. cons. 141. n. 1.* Cagnolus in *l. 55. ff. de R. I. n. 3. seq.* Paulhæcus in *repet. L. univ. C. de Sentent. que pro eo quod n. 83.* Cothman. *Vol. 1. cons. 727.* Menoch. *cons. 43. n. 17.* Idque non solum si alteri ædificium, quod parò, innoxium sit, sed etiam si incommodum inde sentiat. Cuius rei duo celebria exempla nobis exhibentur in *L. Fluminum. 24. §. fin. & L. Proculus. 26. ff. de damn. infecto.* Nec est vt quisquam existimet, id forte iure tantum civili constitutum specialiter esse, nam & naturali iuri hoc conuenit, vt cuiuslibet permittatur rei suæ liberri- mus vsus, si modo nullum ius in alieno prætendat, sed in proprio territorio subsistat. Quod itaque damnum alteri forte per consequentiam contingit, id casui ad- scribendum; nec imputari facienti potest, cum & na- turaliter iniuriam fecisse dici nequeat, qui suo tantum iure vsus est. Confer. prolixius Henricus Michaelis, Syndicus quondam Lubecens. *Responso XXIV. de probi- bita ædificatione in vicinia ciuitatum.*

§. XVIII. Quo fundamento iacto ac præsupposi- to, facilis est decisio casuum specialiorum. Suppona- mus itaque vicinum dominum destitui in suo territo- rio medio nauigationum, ita, vt merces magnis sum- ptibus ope equorum & curruum perferendæ sint atq; apportandæ. Huius sane ciues non leui incommodo adfici videntur eo, quod nunc eorum opera nihil vel parum æstimetur, pleraque autem per vicinorum naues adferantur, hinc horum querelæ sufficiens pro- testandi ius producere videntur. Sed enim uero quam id etiam speciosum videatur, in effectu tamen nihil subest. Etenim ante omnia considerare vicinarum prouinciarum incolæ debent, merces, si non tam in-
genti

gentibus impensis adportari necessum sit, viliori etiam pretio postea vendi posse, quod commodum, si cum praetento quorundam damno conferatur, parum supererit incommodi. Deinde vero nulla Respublica est, quæ, prout nunc florent commercia, eadem sibi perpetuo promittere queat, cum commerciorum etiam vsus vicissitudini temporum sit obnoxius. Igitur hoc cessans lucrum, & inde proueniens Incommodum Dei voluntari adscribere debent, qui noluit eandem esse eius territorii conditionem ac felicitatem, dum flumina ad illius terræ partes non deriuauit. Nam illud expeditum est, quod alterius incommodi causa nemo teneatur ipse carere, ac propria subsidia a Deo & natura legitimi concessa negligere. At quo minus gens quæque commercia in suo territorio stabiliat, nemini impediendi ius est, Grotius *de I. B. & P. l. 2. cap. 2. §. 13. & de mari libero c. 8. & c. 11.* Imo tale impedimentum communis vsus commerciorum iustam belli causam esse, dicit Franc. Victor *de Indis P. 2. n. 1. seqq.* hinc quando facultas negotiandi in terris Imp. Romano-Germanici prohibetur, in Camera Imp. mandata sine clausula decerni solent. Quale decretum refert Petr. Frid. Mindan. *de Mandat. P. 2. c. 44. n. 13.* Imo si a maiori argumentum ducere licet, res clarior redditur; nam si prohibere vicinus non potest, quin fortalitia in hoc territorio exstruantur, prout solidissime contra Albericum Gentilem docuit, magnus quondam Zieglerus *Disput. de Fortalitiis th. 10. & seqq.* multominus cataractæ exstructio impediri ab iisdem potest, cum ex hac aliquod adhuc comodum in perferendis mercibus sentiat vicinus, ex fortalitiis nullum.

§. XIX. Sed instet hic aliquis, limitationem adhuc

admissuram esse sententiam nostram, si per cataractas præiudicetur Iuri nundinarum solennium, ciuitati vicinæ competenti. Hic certe videtur ius prohibendi competere vicino, maxime si cum Gail. *l. 2. obs. 69. n. 25.* statuatur, nouas nundinas a vicino institutas præsumi ad æmulationem alterius vicini eiusque nundinarum. Ast reiecit Gailii sententiam Limnæus *in addit. ad T. 4. l. 4. c. 8. n. 31.* & post eum Ziegler, *de Iur. Maiest. lib. 1. c. 42.* vbi ostendunt, etiam in alterius præiudicium a vicino nouas nundinas institui posse. Sed admissa licet Gailii sententia, huc tamen ea non referri potest. Nec enim eo ipso, dum cataractæ exstruuntur, nundinarum etiam ius illi loco tribuitur. Cui non obest, quod nonnulla loca speciali priuilegio gaudeant, ne intra certum spatium aliæ nundinæ instituantur. Quale priuilegium Francofurto ad Mœnum concessum refert Perillustris Dn. Cancellarius Otto Heinr. L. Baro a Friesen *Dissert. de Iure Princip. extra territorium cap. 2. n. 87. seq.* Et Lipsiam etiam, ne intra 15. milliaria nundinæ ergantur prohibere posse, testatur Dn. Ziegler. *d. l. §. 3.* Ad datur Benjamin Leuber *de Iure Stapule Saxon. n. 256. seq.* vbi priuilegia, à Maximiliano & Carolo V. Lipsiæ concessa, refert & adducit. Sed eadem pariter huc redundat responsio, non enim vel tolluntur nundinæ, vel novæ instituuntur per cataractarum exercitium. Sed diceres, decedere tamen ipsis aliquid, si ob hoc, quod viliori pretio nauibus per cataractas merces transferri ad illum locum, ibique ea propter leuiori pretio emi possint, mercatores se illuc conferrent. Verum eidem iam respondit Dn. Zieglerus §. 3. priuilegium nundinarum non habere etiam vim compellendi mercatores ad conueniendum & exercenda ibi commercia; Hoc enim

enim libero mercantium arbitrio relictum est. Idque obtinet, etiamsi ap Imperatore in specie prohibitum, ne ab vlllo aliquid in præiudicium nundinarum fiat, qualis clausula, & quidem acerba satis, reperitur in confirmatione priuilegii nundinarum Lipsiensibus a Carolo V. Imperatore anno 1521. concessa, vbi inter alia hæc verba leguntur: Und ob jemand wider diese Unsere Gnade und Freyheit oder ander vorbestimbt ihr Priuilegium und Freyheiten etwas vornehmen und handeln würde / daß denselben Jahrmärkten und Niederlage zu Abbruch/Schmälerung reichen und kömen möchten/daß dieselben alle und iegliche in was Würden oder Standes die seyn/mit der That in Unser und des Reichs Recht und Ober-Recht und andere Pönen / Straffen und Büssen in gemeinen Unsern und des Reichs Land-Frieden begriffen/und nach Vermögen vorgemeldten weyland Keyser Maximilians Gnade und Freyheit gefallen seyn sollen. Hæc enim omnia intelligenda, si quis præter iuris assistentiam studio præiudicaret illis nundinis, E. aliud sine dubio obtinet, si quis iure suo vtatur, nec alterius detrimentum, sed suorum subditorum commodum intendat, tum si nihilominus damnum aliquod alteri contingat, id ciuile tantum est, non naturale, & per consequentiam saltem euenit, ac casui adscribendum; alias enim quicquid susciperet vicinus, mox prætendi posset, ac si in præiudicium nundinarum tenderet, & ita iuri territoriali alterius præiudicaretur id quod Imp. facere nulla ratione potest. Imo non video, quomodo nundinis vllum ex cataractis obuenire possit damnum. Potius si suppositis opinionibus præconceptis, res attendatur, augentur nundinarum commercia per cataractas, cum per easdem nunc minoribus longe sumptibus merces adferri possint.

§. XX. Sed quid si in vicina quadam ciuitas ius stapulæ habeat, annon ex eo prohibere poterit, ne cataractæ exstruantur? Ita prima fronte videtur, propterea, quia ita ius stapulæ naturali ratione deuolueretur ad illum locum, vbi cataractæ exstructæ, quale tamen ius in Imperio nostro solus Imperator concedere potest. Knipschild. *de Iur. ciu. imp. l. 2. c. 4. n. 24.* Benjamin Leuber *de Iure Stapulæ Saxon. n. 259. seqq.* vbi hoc ipsum variis exemplis declarat. Vnde etiam cum Elector Palatinus Rheni sine concessione Imp. anno 1575. illud ius sibi arrogare vellet, mandato Cæsareo sine clausula, *secundum Ordin. Camera p. 2. tit. 23.* hoc illi fuit prohibitum, Gylmann. *Symphor. Suppl. tom. 2. p. 3. tit. 18.* Sed primo hic repetita volo, quæ in præced. §. XIX. de nundinis adduxi contra Gallium. Nec enim sequitur: alteri ius stapulæ in suo territorio competit, E. huic Principi commodum, quod ipsi natura concessit, exercere prohibitum. Deinde, quamuis priuilegium forte aliquod adsit, ne intra certum spatium ab alio ius stapulæ exerceatur, hoc tamen cataractis nihil aduersatur, nec enim necessario ius stapulæ illis cohæret, cum mercatoribus, qui hucusque, merces per cataractas transtulerunt, illas sine impedimento ad vicinam ciuitatem, si velint, transferre valeant, hoc si prohiberetur, haberet, de quo conqueri posset vicina ciuitas. Quod si autem regeras, iure Geranii tamen opus esse, vt constet an fraus vectigali facta: huic facile consentio, sed non est confundendum ius Geranii cum iure Stapulæ, vti monuimus supra *cap. II. §. XX. seqq.* nam quod priuilegium de iure Stapulæ loquitur, non mox ad ius Geranii extendendum, sed stricte interpretandum, Ziegler. *d. tr. c. 42. §. 3.* Vbi ex Wehnero adducit,
bona

bona non omnia ad ius Stapulæ pertinere, sed distinguenda *Stapel-Güter und Meß-Güter*.

§. XXI. Illud videtur adhuc maiori pondere moveri posse, quod hoc ipso viæ Regiæ postponantur, & omnia per naues transportentur, ac consequenter, fraus fiat iuri vectigalium, quod vicinus forte Princeps debito legitimoque modo adquisiuit. Ex qua ratione etiam prohibitum in iure Romano, per aliam quam basilicam viam ire, imo contrafaciens & ab itinere recto diuertens, cuiuscunque dignitatis sit, puniendus censetur. *L. 2. §. 5. C. de cursu publ.* Ut proinde quilibet ius habeat cogendi iter facientes, regia incedere via ac debitum exsoluere telonium, cum alioquin confiscari merces queant. At enim uero illa admitti possent, si quis in itinere per eadem loca iret, sed subinde ad declinanda telonia deviis ac non vsitatis viis fraudulenter vteretur. Aliud autem procul dubio dicendum, si iter facientes plane per illa loca non eant, hic enim profecto nullum ius est Domino telonii, cogendi peregrinantes, vt præcise per hunc locum eant aut proficiscantur. Ita v.g. si quis Hala Norinbergam tenderet, ridiculum esset, si Lipsia prætenderet vt præcise illuc transfiret, cum liberum sit cuius, an propinquiori aut remotiori via incedere gestiat. Cui non obest, quod *Loccenius de Iure marit. l. 1. c. vlt. n. 13.* & ex eo *Iac. Bernhard. Multz. Represent. Mai. Imp. P. 2. c. 10. §. 2. num. 22.* tradit, illi, qui ius stapulæ obseruare tenetur, non esse integrum, nouas vias in fraudem iuris stapularum, quærere. Id enim primo vel exinde dubium redditur, quod non certi sint homines, qui adstringantur merces præcise eo perferre, nam tum demum se exerit hoc ius, cum quis iam tum merces ad locum pertulit

tuat, ita vt illi vltcrius ferre non liceat: Sic v.g. incon-
 veniens eſſet, ſi Elector noſter Sereniſſimus omnes
 mercatores adigere vellet, vt præcite Magdeburgum
 venirent; verum poſtquam eo peruenerunt, ius habet
 ſiſtendi ibi merces eorum. Deinde id intelligendum
 eſt, ſi quis prope ciuitatem quæ iure ſtapulæ gaudet,
 nouam & nunquam vſitatam viam quærere vellet, ſal-
 tem vt ius illud eluderet, aliud E. omnino, ſi plane quis
 per alia loca ire conſtituat. Eadem ratione, quamuis
 in aliquo loco cataractæ exſtruantur, & ibi commodi-
 or fiat nauigatio, propterea tamen non prohibetur,
 quiſpiam terra per ordinaria loca proficiſci. Si vero
 hi aut alii velint per flumen ire, id alterius non inter-
 eſt, cum per eius territorium non eatur, aſt extra ter-
 ritorium imperanti & ius dicenti impune non pare-
 tur. *L. ſin. ff. de Iuriſdict.* Hæc vero ſententia ſi alicui du-
 bia videatur, ſiſ adeat Franciſcum Marcum, qui in *Dec.*
Delph. Tom. I. dec. 315. eundem plane caſum exhibet, quẽ
 huc retuliſſe operæ pretium erit. Scilicet mota fuit in
 Delphinatu controuerſia, an licite prohiberi poſſit,
 ne *ſal* per flumen publicum, *Iſara* dictum, Gallice
Oiſe vehatur: cui nauigationi quidam, imo & fiſcus
 contradixerunt, propter intereſſe damni emergentis
 & lucri ceſſantis, ac diminutionem pedagii & gabella-
 rum principis, vbi in ſpecie prætenſum fuit, plura com-
 moda euenire, ſi ab oppido quod *Romanum* dicitur, gall.
Romans, ſal per terram ad ciuitatem Gratianopolin ve-
 hatur, quod ibi certa pars populi viuat, quæ animalia
 pro conductu ſalis ſuppeditare ſoleat, & plures inſu-
 per forenſes ex Sabaudia affluere ſoleant, qui pedagia
 & Gabellas Delphino ſoluunt propter *tiragium*, vt Mar-
 cus loquitur ſalis per terram. Aſt nihilominus pro
 nau-

CATARACTARVM.

81

navigatione pronunciatum esse, & ideo quidem, quod anteponi utilitas publica commodo vel damno fisci debeat, dicto loco testatur prælaudatus Fr. Marcus.

§. XXII. Ulterius non prætereundum argumentum est, quod opponi cataractis solet, desumptum a temporis lapsu. Quia in eo loco ubi nunc exstruuntur cataractæ, antea forte nullæ exstiterunt, aut exstiterunt quidem, sed, postquam collapsæ sunt, per longissimi temporis spatium nullæ reædificatæ fuerunt: adeoque nunc cataractas erigenti obstare videtur exceptio præscriptionis. Ast hæc, quam vehementer etiam interdum vrgeri soleant, in recessu tamen nihil plane roboris habent. Nec enim alter, ne hoc vel illud faciam in re mea, vlla ratione prohibere potest; etiam si id ipsum nunquam hæctenus a me factum fuerit, prout enim quisque in re sua liber moderator est & arbiter *L. in re mandata. 21. C. Mand.* ita in ipsius voluntate vnice positum, qua ratione re sua vti velit; facultati enim ædificandi in suo nullo temporis lapsu præscribitur. *Gail, obs. 69. l. 2. n. 1.* adeo, vt, licet per mille millia annorum in areola mea, quæ iuxta tuum palatium fuit, non ædificauerim, attamen a te prohiberi non possim ædificare, vt loquitur *Accursius ad L. qui flumin. 11. in verb. formam. ff. de S. V. P.* Add. *Schurfus Cent. 1. Cons. 16. num. 2.* *Hippol. Riminald. Vol. 1. cons. 10. n. 31. seq.* Etiam si ex ædificio incommodum ac præiudicium contingat vicino, per superius citat. text. in *L. proculus & l. flumin. ff. de damn. inf.* *Vincent. Honded. Vol. 1. cons. 80. n. 16. seqq.* *Cæpoll. de S. V. P. c. 39. n. 1.* *Carpzov. P. 2. C. 41. def. 12.* *Richter. P. 1. Dec. 6. n. 6.* vbi præiudicium.

§. XXIII. Quæ, cum ita sint, apparet, potestatem ædificandi in suo facultatis naturalis esse: si autem hoc,

L

nullum

nullum alteri ius prohibendi competit; nec ex omis-
 sione, si actus meræ facultatis intermittantur, alteri pos-
 sessio tribuitur. Menoch. *de A. I. Qu. l. 2. cent. 2. c. 160. n. 8.*
seqq. & cons. 20. n. 64. Caualc. *l. 5. dec. 7. n. 17.* Io. Bapt. Costa
de Iuris & facti ignor. cent. 2. dist. 1. n. 1. seq. Ludou. Postius
de Manuten obs. 53. Bursat. *cons. 360. n. 80.* Triuisan. *l. 2. dec.*
Venet. 54. n. 24. seqq. & hinc nec præscriptio. Petrus de
 Anchoran. *cons. 157. n. 6.* Klock. *Tom. 2. cons. 41. n. 203.* Kni-
 chen *de Iure territ. cap. 3. n. 203. seqq.* Kœpp. *dec. 19. n. 6.* Ro-
 senthal *de feud. c. 5. concl. 25.* Cothman. *vol. 2. cons. 99. n. 40.*
 Quod enim non possidetur, nec potest præscribi *Cap.*
Causam 7. X. de Præscript. Cap. Sine 3. de R. Iur. in 6to. vnde
 vulgata *Dd.* regula nata est, tantum posse dici præscri-
 ptum, quantum ostenditur possessum. Hect. *Capyc. La-*
tro Dec. 209. n. 32. Ant. Monach. *Decis. Lucensi. 14. n. 56.* Paris.
v. 1. cons. 27. n. 150. Boer. *dec. 58. n. 6.* Et si tandem aliqua con-
 tra actus meræ facultatis currere debeat præscriptio,
 oportet, vt ab altero præcesserit quædam prohibitio,
 cui hic acquieuerit. Grot. *de I. B. & P. l. 2. c. 4. §. 15.* Postius
de Manuten. obs. 53. n. 28. nam per prohibitionem funda-
 tur quasi possessio istorum iurium, Balbus *de Præscript.*
P. 5. pr. qu. 5. n. 3. Abb. Panormitan. *in cap. fin. de restitit. spo-*
liat. add. Rol. a Valle Vol. 2. Cons. 22. n. 23. seqq. Vnde non
 sufficit dicere, iam tum per tantum temporis spatium
 desolatas fuisse pristinas cataractas, nam ostendendum
 est, vicinum, cum alter reædificare eas vellet, id pro-
 hibuisse, & ædificantem acquieuisse; sic enim vera de-
 mum probata foret præscriptio.

CAPVT IV.

De

SVMP TIBVS CATARACTARVM.

CONSPECTUS.

Continuatio. §. 1. An subditi ad exstruendas cataractas collectari possint? §. 2. 3. An equaliter collectandi? §. 4. An cataractarum usui renunciare possint? §. 5. Subditis, qui per cataractas damnum senserunt, a quo hoc reparandum sit? §. 6. Cuius sumptibus conseruanda? §. 7. An vectigal iuste imponatur? §. 8. An exteri ad hoc obligentur? §. 9. Immunitas nemini patet. §. 10. De mercatoribus ad nundinas euntibus. §. 11. An LL. Imperii huic vectigali resistent? §. 12. 13. 14. 15. 16. Remouetur dubium a prohibito portorio. §. 17. Subditis conquerendi causa hic non est. §. 18. Ius singulare Electorum Brandenb. §. 19. 20. 21. Quid si in alieno territorio cataracta exstructa? §. 22. Pro vectigali securitas prestanda nauigantibus. §. 23. 24. Rigor in exactione vectigalis taxatur. §. 25.

§. I.

Remouimus in Cap. præcedenti cataractarum impedimenta illarum exstructioni obstantia, & libertatem illas ædificandi fluminum dominis asseruimus: Verum cum sine sumptibus, siue rerum gerendarum neruis, frustra pretiosum hoc opus suscipiatur, materiæ ratio exigit, vt iam indagemus, cuiusnam sumptibus exstrui cataractæ, damnumq; aliis datum reparari debeat, postmodum etiam, a quonam sumptus ad conseruandas cataractas exigi possint, visuri.

§. II. Principalis itaque hinc resultat quæstio, an non Princeps pro exstruendis cataractis collectam im-

L 2

ponere

ponere possit subditis? Equidem facilis videtur eius decisio, cum sane iniquum censeatur subditos adstringere ad contribuendos sumptus in eam causam, ex qua solus Princeps lucrum habet: vt ita neganda statim videatur quæstio. Ast si debito modo rem perpendamus, apparebit veriore esse affirmatiuam sententiã, illud enim manifestum est, inter iustas collectandi causas communiter haberi refectiones pontium, fontium, viarum, aggerum, fluminum, vti post Gailium, Mynfingerum aliosque tradit Casp. Klockius *tr. de Contrib. c. 7. n. 15.* sed quo ipso magis reficiuntur flumina, quam per cataractas? Per has enim debitus earum vsus; navigationem intelligo, restituitur; oportet itaque, vt etiam earum exstructio eodem fauore gaudeat, & pro iusta collectandi causa habeatur; deinde falsum est, quod antea obiiciebatur, ac si solus Princeps lucrum ex cataractis perciperet; sane in totam Rempublicam earum commodum redundat, omnibusque proficuum est navigia in flumine restaurari, ac res, ad vsum vitæ necessarias, viliori pretio venum exhiberi, prout supra cap. I. sufficienter, ni fallor, tradidi, sed natura æquum est, vt, qui commodum sentiunt ex operibus publicis, etiam ad ea contribuant. *arg. l. 10. ff. de R. I. Brunneinan. ad l. 1. C. de op. publ. n. 2.*

§. III. Sed tamen an omni tempore, ac pro lubitu, ita collectari possint subditi, dubium est; qui enim ius collectandi Principi concedunt, id non aliter ei permittunt, quam si reditus ordinarii deficient. Rol. a Valle *vol. 2. conf. 1. n. 67.* Franc. Bursat. *vol. 1. conf. 1. n. 16. seq.* Hippol. Riminald. *Conf. 10. n. 2.* Franc. Munnoz de Escobar *de Ratiocin. c. 25. n. 23. seqq.* verum prout plerumque communia illa Dd. asserta nimia generalitate laborant; ita
hic

hic etiam eodem modo se res habet. Certe enim in sua generalitate illa Dd. sententia falsa est, ut adeo non habeat de quo gloriatur Rosenthal *de feud. c. 5. concl. 79. n. 2.* se nec inter legendum, nec scribendum, contradicentem inuenisse. Nam si publicum aliquod conficiendum opus sit, quamuis alias non deficient Principi redditus ordinarii, cur tamen hos impendere huic structuræ debet, cum eos iam ad alium usum necessarium destinauerit? Sane Princeps ex proprio patrimonio publica exstruere opera non tenetur. Proinde non de alio casu accipienda Dd. ista opinio, quam si Principi ex pecunia a priuatis collecta, tantum superfit, ut hæc quoque sufficere possit cataractis exstruendis, tunc enim, si extraordinarium aliquod opus in utilitatem reipublicæ moliatur Princeps, parcendum subditis. Alias autem, si ex priuato Principis patrimonio eroganda foret pecunia in usum totius Reip. impendenda, iniquitas inde resultaret euidentis.

§. IV. An autem æqualiter contributio a subditis facienda, nunc dispiciendum est? Sed vix hæc res certo ac liquido decidi potest, sed potius ex peculiari statu & conditione cuiusuis Reip. determinanda. Interim tamen pro regula obseruari posset: Toties ad contributionem omnes æqualiter teneri, quoties ex eo, cuius gratia contribuunt, æquale commodum sperant. Quod si itaque, pro statu loci, mercatores ex cataractis maius emolumentum præ ceteris ciuibus sperent, illi etiam plus conferrententur. Sed & sequitur exinde, Principem pariter ad ferendam partem sumptuum teneri, cum ex cataractis etiam non minimam partem commodi quoad bona sua patrimonialia speret. Ut adeo, meo quidem qualiquali iudicio, Princeps iuste faceret, si ipse

si ipse sumptuum partem, pro rata commodi, præstaret, alteram vero a subditis per modum collectæ exigeret. Conf. *L. 1. C. de Collat. fund. patrimonial.* add. Klock. *de Contrib. c. 9. n. 63. & seqq.* Sed & illud, consequens istius regulæ est, reliquas Principis prouincias, qui nullo inde commodo adficiuntur, ad illam cataractæ exstructionem vt contribuunt, non teneri, ne illæ damnum sentiant, absque vlla spe lucri.

§. V. Vnicum adhuc suboritur dubium, vtrum nonnulli subditorum excusare se a collectis possint, si renunciare velint vsibus aut commoditatibus cataractarum? Ita quidem videtur, quia collectas ob communem vtilitatem indici posse diximus; si itaq; nolit aliquis isto commodo frui, onere etiam non adficiendus erit. Cessante enim causa, cessare effectum, constat. Sed hoc non obstante, omnes ad contribuendum obligari statuimus, partim quod ista renunciatio fieri nequeat, si quis in ciuitate maneat, cum ita latenter vtilitas hæc in omnes redundent, vt nec priuatum commodum a communi separari possit, v. gr. si ob merciorum frequentiam omnia meliori mercatu veniant; partim etiam, quod pro malitia hoc ipsum habendum sit, si vnus ex societate communi commodo contradicere vellet; malitiis autem indulgendum non est *L. 38. in fin. ff. de R. V.* nec immunitatem illa meretur, sed pœnam potius. Faciunt huc, quæ in simili Dd. statuunt, ad reficiendum puteum communem, vel reparandam viam publicam, teneri omnes ex vicinia sumptus facere, adeo, vt nec Ecclesia hic excipiatur. *L. 7. C. de SS. Eccles.* nec liberetur quisquam, etsi renunciare vsibus & commoditatibus putei aut viæ velit. Io. Bapt. Costa *de rat. Rat. qu. 27. n. 8.* Ægid. Thomat. *de Collectis §. retenta n. 17.*

§. VI. Ex illis ergo collectis damna resarcienda sunt subditis, si quæ ob utilitatem publicam occasione exstructæ cataractæ senserunt, utpote si forte fossa coniungendis fluminibus per cataractas destinata, per privatorum agros ducta, sicuti hoc contigit subditis Academiae Viadrinæ, Brizensibus & Lindensibus, qui reparationem diu desiderarunt. Verum quamvis etiam plane supponamus, teneri Principem propriis sumptibus exstruere cataractam, vel quod id subditis promiserit, vel quod ista a me allata argumenta ad iustitiam collectarum non videantur sufficere; nihilo tamen fecius eum ex propriis non teneri damna illa subditis data resarcire, statuimus. Est enim ea communis moralistarum sententia, quod si privato vi supereminentis dominii, damnum detur, & ius quæsitum auferatur, compensatio ex communi facienda sit, contributione a reliquis facta. Hugo Grotius *de I. B. & P. lib. 2. c. 14. §. 7.* Dn. Pufend. *de I. N. & G. l. 8. c. 5. §. 7.* Idque naturali ratione nititur, cum enim commodum in omnes ex isto opere publico redundet, omnes etiam contribuere debent. Proinde non admittenda est sententia, quam fouent Hector Capyc *Latro Decis. Neapol. 188. n. 72.* itemque Gail. *lib. 2. obs. 56. n. 8.* aliique ab eodem citati, quorum ille tum demum a Principe non deberi compensationem dicit, si non habeat, unde vel in totum, vel in partem soluat; hic vero, tum demum, si velit uti absoluta potestate. *d. l. num. 12.* Princeps enim quamvis haberet bona ad reparationem sufficientia, tamen non tenetur. Quod vero interdum Reges vel Principes damnum acceptum resarciant, hoc fit magis in præmium, quam ex debito. Conring. *de Finibus Imp. c. 19.* Et hoc sensu accipio ea, quæ habet Dn. Vitriarius

arius

arius *in Inst. l. N. & G. l. 2. c. 14. qu. 12.* quod sc. necesse non sit, vt fiat compensatio, quia Rex iure suo vtitur, vi enim eminentis domini de rebus priuatorum in vtilitatem publicam disponere potest, eo modo, quo pater familias de iis disponit in vtilitatem suæ familiæ. Hoc enim facile admitto, si de compensatione a Rege facienda intelligatur: si vero in genere accipiendum, non difficulter de eo dubitari potest, nec enim æquitas suadet solum, sed & iubet ipsum ius naturæ, vt damnum, quod omnium causa quis sustinuit, ab omnibus in quorum commodum cesit id quod est impensum, refarciatur.

§. VII. Videamus nunc de sumptibus, qui ad conseruationem cataractarum requiruntur, a quonam illi præstandi sint: quod enim de imperiis vulgo dicitur:

Non minor est virtus, quam querere, parta tueri.

illud certa ratione ad istiusmodi opera publica commode applicare potest. Nec enim suscipiendæ saltem sunt a Principe curæ pro bono publico, sed & continuandæ. Praxis enim docet, optimas præstantissimasq; structuras veterum pro vtilitate subditorum magnis sumptibus confectas, sæpe ob negligentiam successorum desolatas reperiri, haud absque insigni totius Reipublicæ detrimento; vbi si postmodum denuo erigenda sunt talia opera publica, maximos iterum sumptus requirent, cum tamen leuiori impensa conseruari potuissent. Hanc igitur in rem plerumque Principes vectigalia imponunt istiusmodi operibus, vt, ex pecunia inde redacta, in statu integro conseruari cataractæ possint, id quod vsu ac consuetudine omnium, ni fallor, locorum comprobatum est. Sed vtor hic voce vectigalium in significatione sua generali, quatenus sumitur pro munere

nerè quod pro mercium vectura, aut præstita securitate & refectione viarum aut cataractarum soluitur.

§. VIII. Neque huic obstat, communem esse debere usum aquæ: quo pertinet locus Ouidii *lib. 6. Metamorph.*

Quid prohibetis aquas? usus communis aquarum est.

Nec solem proprium natura, nec aera fecit,

Nec tenues undas in publica munera veni.

Nam id non absolute verum est, sed eo respectu, ut, quæ profluit aqua, bibi hauriri que a quolibet possit, Grot. *de I. B. & P. lib. 2. c. 2. §. 12.* quo respectu etiam Imp. §. 1. *Inst. de rer. diuisione* aquam profluentem communem omnium dicit, non secus ac usum maris. De quo vid. Grot. *tr. de mari libero cap. 5.* Huic itaque simplici aquæ si quis vectigal imponeret, is omnino inique faceret. Hinc cum hodiernus Galliæ Rex, Ludouicus XIV. paucis adhinc annis, vectigal aquæ, quæ Parisiis a nonnullis hominibus ad commode hibendum præparatur, imponeret, non modo plures exstiterunt, qui id ipsi vitio verterent, sed etiã, cum fama tunc increbuisse, deliberationem iniri, quomodo ipsi aeri & cæteris elementis certo modo vectigal imponi possit, lepidus quidam Gallus, in Gallia ipsa, scriptum publicauit satyricum, quo aer, ut ab hoc instituto desistat Rex, submissa supplicatione contendit. Liceat in gratiam lectoris curiosi ipsam supplicationem huc transcribere, cum in omnium manibus non sit: Titulus est: *Tres-humble Remontrances des vents & des Sephirs au Roi.* Ipsæ autem preces ita se habent: *Grand Monarque, puissant Roi, nous Elemens, habitans de l' air, enfans d' Eole notre Pere, fauoris des Astres, nous soupirons & nous abaissons, tranquillement deuant vôtre Maïeste, pour lui faire connoitre nôtre profond chagrin, voyant que ses Ministres*

M

NOUS

nous veulent assujettir un dur esclavage de maltote bonteuse pour nôtre franchise, que nous avons reçue de la nature qui nous ayant placés au plus éminent & au plus beau séjour qu'elle ait formé, nous ne pouvons souffrir de contrainte sur notre liberté, de plus, Sire, nous sommes faits pour le bien & pour la satisfaction des hommes qui ne peuvent vivre sans nous. Quelle tyrannie de nous voir sous le joug d'un impôt infame, qui arrête notre course naturelle, & nous prive de nos premiers avantages! Permettez nous donc, grand Roi, de nous retirer entièrement de France, sans être dragonnez ni bombardez, & de nous refugier dans des pais de paix, ou les Puissances souveraines ne troublent point leurs sujets par aucune tyrannie; faute de quoi nous déclarons à votre Majeste que nous serons contraires à toutes les flottes qu'elle mettra sur mer, & à tout ce qu'elle entreprendra sur les eaux nos cheres soeurs, même nos sephirs, qui l'ont tant favorisee, ont resolu de ne plus paroître dans ses palais, ni dans les belles solitudes qui font ses delices. Combien de fois, Sire, avez vous loue notre agreable fraicheur aux pieds des beautez qui vous ont enchanter: tous ces bien faits sont oubliez aussi bien que ceux des vents nos allies, qui ont favorise mille & mille fois vos Armees Navales. Souvenez-vous, illustre Prince, de toutes nos faveurs, & nous redonnez notre tranquillite ordinaire, autrement nous vous quittons pour etre tous occupez au service du grand Cesar, du grand Achille, de ce siecle, qui fait respirer le repos & la joye dans l' Ile Britanique & dans les pays où il regne.

Signe les Vents & les Sefhirs.

De talis itaque vectigalis impositione rei, quæ omnino libera esse debebat, hic non agimus, sed vt ante diximus, vbi pro vsu cataractarum & conseruatione, ac præstita securitate, aliquid exigitur. Ex his ipsis autem sufficienter constat de iustitia huius vectigalis. *Quanta e-*

CATARACTARVM.

9E

tā enim res est securitas publica, quanta commoditas nauigationis, & facilitas transportandarum mercium? eam autem præstat Princeps tam subditis suis, quam exteris transeuntibus; pro maximo itaque bono, nihil velle rependere, non modo perquam ingratum, sed plane etiam inhumanum foret: Accedit, vti dixi, promotā per cataractas nauigatio, quod sane commodum nec exteris gratis præstare tenetur Princeps, nec suis ex propriis conseruare sumptibus. Quod si ergo non modo adiutorium, sed & insigne nauigationis compendium iis præstetur, quis dicat iniuste exigī vectigal? id vero contingit in cataractis. Hinc Dn. Pufendorf, *de I. N. & G. lib. 3. c. 3. §. 7.* fauorabilia dicit vectigalia, vbi per industriam difficultas terrestrium itinerum veluti in compendium fuit missa. Sic si quis quondam per fossa Isthmo Ionium & Ægeum mare coniunxisset, a lubentibus sane vectigal potuisset exigere, dum breui & secura via liceret defungi. Hæc Pufendorfius. Cui pondus addit Strabo *lib. 4.* vbi ditatos Marsilienses esse ex fossa, quam Rhodano in mare Marius duxerat, testatur. Quem locum refert & commendat Hugo Grot. *de I. B. & P. lib. 2. c. 2. §. 14. n. 7.*

§. IX. Quisquis itaque cataractas transit, debitum vectigal exsoluere tenetur, hinc & exteri obligantur, prout diximus. In ipsorum enim arbitrio est, an beneficio cataractarum vti velint, an secus; nemo quippe, vt præcise nauibus vtantur, eos compellit, nec cogi potest quispiam, cum liberum cuiq; sit, quo velit cursum dirigere & qua ratione iter perficere ac merces transferre cupiat, vtrum per terram, an per aquam. Quo pertinet Lex antiqua Capitulationi Lotharii inserta. *L. 2. tit. 31.* Nullus cogatur ad pontem ire, ad fluuium

M z

tran

transeundum propter telonii causam, quando in alio loco compendiosius transiri potest fluuius. Succurrit hic casus, qui commode huc applicari potest. Est in Marchia oppidum, nomine Fehrbellin per quem locum transiri non poterat, nisi flumen Rhinus, oppidū illud alluens, pontone traiceretur; Serenissimus autem Elector gloriosæ memoriæ, cum hoc iter facientibus molestum videret, pontem ibi exstrui suis sumptibus curauit, & pro hoc onere, quod in exstruendo & conseruando ponte sustinet, leuem collectam singulis equis transeuntibus imposuit; hoc vero cum pro nouo onere venditarent Status prouinciales, & inde a Serenissimo Electore peterent, vt ab hoc liberarentur, sequenti modo ipsis responsum est, sub dato *Cleue d. 23. Mai. a. 1661.*

Die Beschwerden wegen der Brücken-Gelder zu Fehrbellin und anderswo betreffend/sehen S. Churfürstl. Durchl. nicht/ wie wegen det Brückengeldes zu klagen iemand Ursach habe/angesehen nur ein geringes von Pferden und Wagen gegeben wird/und davon/ehe die Brücken wieder gebauet/und repariret worden/ sie ein weit mehrers zum Fehr-Gelde geben müssen/und daneben mit der Uberfuhr lange verzögert worden / und wird nochmahls zu jedes Belieben gestellet / ob er sich übersetzen lassen / und das Fehrgeld geben/ oder sich der Brücken/ gegen Erlegung des Brücken-geldes / gebrauchen wolle. Eadem itaque libertas & post exstructas cataractas patet mercatoribus, aliisque merces transportantibus, an beneficio cataractarum vti, & vectigal impositum soluere, an per vecturas terrestres, vt hactenus factum merces suas aliorum, maiori impensa, transferre velint.

§. X. Neque vlla hic locum habet immunitas, quamuis enim quædam personæ alias a collectis exemptæ sint, illud tamen huc non est trahendum; nec e-

nim

CATARACTARVM.

93

nim pecunia hic pro persona soluitur, sed pro transitu nauium & vsu cataractarum. Sed diceres, annon exemptionem mereantur Clerici, qui alias exempti sunt a plerisque oneribus? vid. Klock. *de Contrib. c. 12.* Ast nihilominus eos vectigal exsoluere debere, statuo, ob *L. 7. C. de S. S. Eccles.* aut enim exercent mercaturam, aut secus, si hoc, non opus habent cataractis; si illud, non gaudent immunitate. Petr. Frid. Mindan. *de Processu lib. 2. c. 45. n. 16.* Card. Tusch. *Pract. Concl. lit. C. concl. 126. num. 16.* Imo non vt Clerici amplius, hoc casu, sed vt laici considerandi, Beneu Straccha *tr. de Mercatura P. 3. n. 9.* Franc. Munnoz de Escobar. *de Ratiocin. administ. cap. 7. n. 39.* nam male faciunt, quod eandem exercent. Quo pertinet constitutio Brandenburgica, Daß die Prälaten und von Adel sich Rauffmannschafft zu treiben enthalten / und dieselbe den Bürgeru in den Städten allein bleiben solle / quam exhibet Ioach. Scheplitz *Consuetud. Brandenb. P. 4. tit. 4. §. 1.* Inde Hieronymus, in Ius Canonicum relatus *C. 9. Dist. 88.* negotiatorem clericum ex inope diuitem, ex ignobili gloriosum, quasi quandam pestem fuge. Imo iure Saxonico & Sueuico adhuc clarius est dispositum, quod Clerici non debeant immunes esse ab hoc vectigali; textus in *Sachsisehen Landrecht lib. 2. art. 27.* & in *Schwab. LandR. c. 214. n. 4.* ita habet: Pfaffen und ihr Gesinde sollen zollfrey seyn / sie fahren / reiten oder gehen / wo sie Schiffs und Brücken nicht bedürffen. Quod de clericis dictum, ad nobiles etiam extendendum, quod illis pariter interdicta sit mercatura, *L. 3. C. de Commerciis & mercat.* vnde nobiles mercaturam vsurpando auitæ uobilitatis iure exui, statuunt Mynfinger *L. 6. obs. 54. per tot.* Hippol. *de Collib. de Nobilitate ax. 56.* Sed vero cum illud sine dubio limitationem mereatur,

M 3

nisi

nisi aliud consuetudine receptum; Sigism. Scaccia *tr. de Cambio. qu. 7. p. 3. lim. 17. n. 22.* Beneu. Straccha *tr. de Mercat. P. 3. n. 18.* Betsius *de pact. illust. fam. fol. 620.* hinc diceres, eo ad minimum casu nobiles immunitate gaudere; sed vero nec hoc adsumendum cum, vt dixi, hic non personæ, sed rei ipsius, siue vsus, respectus habeatur. Tandem insignis est refectionis fauor, cum vbique Reipublicæ intersit omnia facta tectaue conseruari. Quamuis itaque nonnulli immunes sint a collectis reliquis, hoc tamen argumentum ad casum refectionis ædificiorum publicorum non extendendum. Omnes itaque qualicumque priuilegio alias gaudeant, hoc vectigal soluere obligantur. Quo non absquæ ratione referri potest, quod in genere a contributione ad viarum, fontium, pontium, aggerum, fossarum, pomæriorum, pectoralium & murorum refectionem Dd. nullam immunitatem admittant. *per l. 7. C. de SS. Eccles. L. 4. C. de priuil. dom. aug. Franc. Bursat. Cons. 16. n. 24.* Gutierrez. *Pract. quest. l. 1. qu. 3. n. 1.* Hieron. de Cæuallos *in Spec. commun. opp. contr. comm. qu. 576. n. 4.* Trentacinq. *Var. resol. l. 1. tit. de Jure fisci resol. 5. n. 13.* Qui quamuis de Clericis saltem loquantur, generalis tamen ratio subest quæ & aliis personis applicari potest. Nam in genere, quando pro communi necessitate quid exigitur, vnde commodum ad singulos redundat, tum imunitas frustra allegatur *arg. d. l. ad instructionem. 7. C. SS. Eccles. Franc. Person. de Gabellis n. 80.*

§. XI. Sed quid de mercatoribus dicendum ad nundinas venientibus, an & illi ad hoc ipsum vectigal soluendum sunt obligati? Expediti autem iuris & moris est, eos, tempore nundinarum, a tributis & vectigalibus immunes esse. *L. un. C. de Nund. Franc. Marc. P. 1.*

Dec.

Dec. 268. n. 2. Knipschild de Ciuitatibus Imperii lib. 5. c. 23. n. 5.
 Sed id quamuis in genere verum sit, ad hoc ipsum ta-
 men vectigal, cum illud non tam pro mercibus, quam
 pro vsu cataractarum soluatur, vix applicari poterit.
 Inde etiam communiter Dd. ab illa immunitate exci-
 piunt vectigal, quod pro vsu viarum exsoluitur, das
 Weg-Geld/Fahr-Geld. *Fritsch. de Nund. cap. 8. §. 1. n. 4.*
Klock. Vol. 3. cons. 135. Myler. ab Ehrenbach de Princip. Im-
per. P. 2. c. 58. §. 5.

§. XII. Sed obiici hinc nobis posset, restringendam
 potius quam ampliandam esse vectigalium materiam,
 vtpote cum iam tum satis repleta sit iisdem Germa-
 nia. Vti v. gr. in Visurgi, intra 27 milliaria supra Bre-
 mam, 26 diuersa vectigalia numerari solent, teste Zie-
 glero *de Iur. Mai. l. 2. c. 7. §. 16.* Vnde diuersis etiam LL.
 institutio nouorum vectigalium prohibita, nam ex
 Pauli sententia Lege Iulia de vi publica tenetur, qui
 noua exercet vectigalia. *L. ult. ff. ad L. Iul. de Vi publ. &*
crimen ambitus incurrit L. vn. §. 3. ff. ad L. Iul. Ambit. Ac in
 Iure Canon. communionem Christiana carere eum iubet
 Alexander III. Pontifex, qui nouas pedagiorum exa-
 ctiones statuerit. *Cap. innouamus 10. X. de Censib.* Omnium
 autem seuerissima est constitutio, quæ reperitur in
 Recessu Imperii, tempore Rudolphi anno 1287. confe-
 cto, quem integrum refert Christoph. Lehmannus in
Chron. Spir. l. 5. c. 108. vbi inter alia hæc referuntur verba:
 So gebiethen Wir / daß niemand keinen neuwen Zoll noch Beleite
 mache noch nehmen soll / weder uf Land noch uf Wasser / und daß
 alle die Zoll die mit Unrecht gehöhet sind / anders denn sie von Al-
 ters gesezet sind / daß dieselbige Höhung ab sie / und der Zoll belie-
 be / als er zu recht soll. Schwer dawieder thut / der hat den Landfrie-
 den gebrochen / und umb den Bruch so ist er in der Achte / und in
 des

des Babestes Banne/den man jegelich kündet an des Anclasses Tage / und in des Legaten Bann / den er über unrechte Zölle zu Würzburg in dem *Concilio* gefündet hat. Nieman soll daheimen Zoll nehmen/wan zerechte und da man in zu rechte nehmen soll; Swer das brichet / den soll man haben für ein Strafröber. vid Iac. Bernh. Mulzius *in Repras. Mai. Imp. P. 2. c. 16. §. 3. n. 117.*

§. XIII. Sed ista minime assertioni nostræ obstant, nec enim vectigalium iura extendimus, præterquam necessarium est. Textus vero illi de nostro vectigali non loquuntur. Leges ciuiles enim clare satis priuatos respiciunt, si illi vel maiora, quam par est, vel noua etiam vectigalia exegerint, prout satis hoc ipsum ostendit *tit. C. Vectigalia noua institui non posse.* nam ibi in *L. 3.* expresse tunc saltem prohibentur vectigalia, si sine Principis consensu instituantur, & in sequenti *L. 4.* pœna dictatur priuatis, qui plus quam debent, exigunt. Eadem pariter responsio danda est ad textum Iuris Canonici, nam & manifeste cum consensu Regum & Principum vectigalia permittit. Quod vero ad illum Recessus Imperii allegatum articulum attinet, is ab usum exactio num damnat, non vsu. Et prohibet tantum veteribus vectigalibus noua superaddere, ea que nimium augere; Id quod ratione haud vana constitutum: Sicut enim nimium vectigalium augmentum mirum in modum reditus auget, ita non potest non id fieri cum detrimento subditorum & mercaturæ. Ita augmentum vectigalium Romæ, spatio trium mensium, viginti thalerorum millia reddidisse, memoratur *nella relazione ed instruzione per lo Stato di Milano,* quam refert Philippus Honorius *in Praxi Prudentiæ Politicæ p. m. 292.* vbi hæc verba habet autor: *Io sono rima, so attonito in vedere l' aumento che fanno tutto 'l di l' entrate dello*

te dello Stato Ecclesiastico, delle quali la sola Doana di Roma nell' appalto fatto, tre mesi sono, crebbe venti mila scudi l' anno di piu, e pure non e terra mercantile come Milano. Ast vero hic specialis casus est promotæ nauigationis, cuius commodum in omnes ibi nauigantes redundat, vbi sine dubio diuersum quid pronunciandum. Deinde in tali flumine, quod demum per cataractas nauigabile redditur, nulla adhuc dum sunt vectigalia, itaque de eo non egit Recessus ante adductus, nam & tum temporis modus hicce cataractarum plane incognitus, plerisque certe ignotus erat, leges autem sæpe ex statu & conditione temporum interpretationem suam recipiunt.

§. XIV. Sed maiora restant dubia, quæ hic nobis sese obiiciunt, recentissimis sc. Imp. Legibus & Capit. Imperat. prohibitum esse, noua vectigalia in Imperio instituere. Quamuis enim olim Electores non modo, sed & reliqui Principes noua erigere vectigalia pro lubitu potuerint, vti ex Goldasto tradit Carpzou. *de Leg. Reg. German. cap. 8. Sect. 1. num. 8. seqq.* Id tamen postea LL. Imperii mutatum est, adeo vt nec Imperator solus concedere potestatem erigendi nouum vectigal possit, sed Electorum consensus & quidem vnanimis requiratur. *Cap. Leop. art. 21.* vnde quilibet circulus iubetur in flagellatores vectigalium inquirere, vt ad debitam pœnam trahantur. *Reichs Abschied de anno 1576. §. Weiters seynd.* Imo in casu contrauentionis, Electori cuiuslibet permittitur priuata autoritate se contra noua vectigalia defendere. *dict. Artic. 21.* ibi: *Nuch einem iedweden des H. Reichs Churfürsten / welcher sich damit beschweret befindet / frey und beyor stehen / sich solcher Beschweh rung / so gut er kan / selbst zu entheben.* Quapropter si contra fecerit quidam ex statibus, man-

N

data

data sine clausula a Camera Imperiali decerni solent, Rosenthal *de Feud. cap. V. concl. 13. n. 12.* vbi refert istiusmodi mandatum fuisse decretum, in causa ciuitatum Imperialium, contra Archiepiscopum Colonensem; item contra Ducem Iuliacensem *d. 7. Nouemb. An. 1588.* sententiaq; confirmatum fuisset: item in causa Principatus Stabulensis contra Episcopum Leodiensem *13. Octob. An. 1592.* item ciuitatis Aquisgranensis contra Episcopum Leodiensem, vt ita de praxi illa non sit dubitandum.

§. XV. Verum enimvero, vt nunc de morali ratione istius articuli Capitulationis & iustitia nihil adferam, id tamen cuilibet patere existimo, idem esse, an vectigalia in Imperio instituere plane sit prohibitum, an vero tot limitibus potestas illa circumscripta: an enim fingi casus, ne dicam existere, potest, quo in novum telonium erigendum ab aliquo ex statibus omnes Electores vnanimiter sint consensuri? Sane minimum etiam præiudicium vnus Electoris, operabitur dissensum, vnus autem dissensus sufficit ad impediendam telonii institutionem per verba Capitulat. Und aller und jeder Sieben Churfürstl. Wissen/Willen/Zulassen/ und Collegial-Rath mit einhelligem Schluß/ also und dergestalt in diesem Stück vorgegangen/ daß keines Churfürsten Wiederred oder dissens dargegen; sondern alle und iede dero Collegial-Stimmen einmüthig seyn/massen wir disfalls die maiora nicht adtendiren/auch ohne vorgehende vnanimia zu keinen Stand bringen etc. Sed vero, sit possibilis institutio nouorum vectigalium, huic certe telonio in cataractis erigendo non obstaret. Si enim accuratiori oculo perlegatur dicta Capitulatio, apparet non de alio casu eam loqui, quam si noua telonia eo loco erigantur, vbi iam alia hæctenus instituta:

veluti

CATARACTARVM.

85

veluti si in viis publicis vel fluminibus nauigabilibus quædam erigantur; huc enim respicit ratio *d. Cap. art. 21.* ab initio adiecta: Diueil die Teutsche Nation und das heilige Römische Reich zu Wasser und Land zum höchsten damit beschwehret. vti etiam in medio *d. artic. expressa verba*, ad flumina in quibus nauigari solet, restringuntur, ibi: So sollen alle und iede dergleichen/sowohl unter wehrenden Krieg/ als vor denselben/auf allen Strömen/ und schiffbaren Wassern / des Reichs ohne unterscheid *re. maxime cum simul ratio adiiciatur*, quod ita nauigationi ac commerciis obexponatur, quo pertinent verba paulo præcedentia: Diueil sich aber zuträgt/das zwar der Nahme des Zolls bisweilen nicht gebrauchet/ sondern unter dem Mißbrauch und prætext einer Niederlage und Staffel-Berechtigkeit oder sonsten von den auf und abfahrenden Schiffen und Wahren eben so viel/ als wesi es ein rechter Zoll wäre/ erhoben/ auch der Handlung und Schiffart durch ungebührliche und abgenöthigte aus und einladen/ ausschiffen und einschiffen *re. mercklich grosse Beschwer und Verhinderung verursacht und zugefüget wird.* Vnde colligere firmissime licet, quæcunque vectigalia nec in ordinariis locis, vbi iam alia telonia reperiuntur, instituta, nec nauigationem aut commercia impediunt vel sistunt, sed compensationem tantum continēt impensarum, quas Princeps in promouenda nauigatione impendere necessum habuit, ea in dicta Capitulatione non sunt prohibita.

§. XVI. Hæc si nunc ad cataractas applicentur, patebit diuersitatis ratio. In eo enim flumine, quod per cataractas nauigabile redditur: cum nulla adhuc dum erecta sint telonia, non poterit dici eadem præter necessitatem cumulari, ac ita iisdem grauari status Imp. Deinde non impeditur nauigatio, sed promouetur potius, non sine insigni commerciorum au-

N 2

gmen-

gumento: Et sane iniquum foret, eum, qui tantis sumptibus flumen nauigabile reddit, ex nauigationibus nullum plane lucrum sperare debere. Idque eo magis, cum de damno vitando certet is Princeps qui cataractas exstruxit, reliqui vero nauigantes, qui iisdem fruuntur, lucrum captare intendant. Non itaque obici potest, quod in dicta Capitul. generatim noua vectigalia instituere prohibeatur, es sen gleich zu Wasser oder Land. Nam ibi per aquā ea intelliguntur flumina, in quibus ordinarie nauigari solitum fuit hactenus.

§. XVII. Id videtur magis aduersari huic nostræ sententiæ, quod ne quidem portorium imponi possit a Statibus, nisi ex concessione Imp. & Electorum. vid. *Die Beschreibung Caroli V. ap. Goldastum T. 5. Const. Imper. P. 2. t. 3. §. Wir sollen 18. Rumelin. ad A. B. disc. 8. tb. 20.* Cum enim portorium sit minimū pretium, de quo non admodum conueniri possent peregrinantes, & tamen id imponi priuata autoritate non possit, multo minus licebit aliquod vectigal pro cataractis exigere, quo nauigantes magis grauari possent. Sed tamen hæc nondum tanti sunt, vt mouere nos in contrarium possint, nam & portorii alia ratio est: Cum eo ipso omnino grauentur iter facientes, dum pro solo transitu pontium vectigal soluere tenentur, aut alias iter continuare nequeunt. At vero vt cataractas quis naue transeat, nemo necessitate adstringitur, nam & per terram, per quam hactenus, antequam exstruerentur cataractæ, eundem fuit, adhuc via patet: quia autem earum beneficio uti, ac via compendiosiori incedere cupit, is haud ægro, sed lubenti animo quidpiam pro usu earum exsoluet. Hinc non metuendum est querelas propterea in Imperio motas iri.

§. XVIII.



§. XVIII. Vnde nunc luculenter constabit, non prohiberi Legibus Imperii absque consensu Imp. & Electorum vectigal [aliquod cataractis imponere], aut si tamen aliquod adhuc superesset, quod tamen cerebrinum sit oportet, dubium, ad minimum vectigal illud valebit ratione subditorum, quibus pro lubitu imponi vectigal posse, non obscure apparet ex *Capit. Leopold. art. 22. Perillustr. Dn. de Rhetz. de Iur. publ. l. 2. c. 15. §. 1.* Hoc autem posito, cuiuslibet integrum erit prohibere, ne vllus ex peregrinis nauigatione in suo territorio v-tatur, quo ipso maius damnum sentirent commercia, quam si temperata vectigalia instituire permitteretur.

§. XIX. Et licet tandem hæc omnia secus essent, non tamen possent ista præiudicium adferre Serenissimis potentissimisque Electoribus Brandenburgicis, qui speciali priuilegio vectigalia in suo territorio quancumque instituire possunt. Ad quod priuilegium prouocat IOANNES SIGISMVNDVS Elector Brandenb. in reuersu (vt vulgo loquuntur) concessio Ordinibus prouinciarum in noua Marchia, sub dato Cüstrin. die 11. Iunii an. 1611, vbi inter alia hæc verba reperiuntur: Anreichende vors siebenzehende den neuen Zoll von dem Korn/so zur Aye und Wasser in frembde Lande verführet wird/ob wir wol umb Erlassungen desselben von den sämtlichen Prälaten/Herren/ und Ritterschafft ganz inständig mit grossen Fleiß und Eyffer unterthänigst angelanget worden / dieweil es aber ein sonderlich und fürnehme Regalstücke unsers ganzen Churfürstenthumbs/ welches unser löblicher Herr Eltervater/Churfürst Joachim/der ander dieses Nahmens/von der Römischen Käyserl. Maj. mit Bewilligung des Churfürstl. Collegii ob bene merita erlanget / nachgehends von Käysern zu Käysern confirmiret/auch seithero unsers Hn. Großvaters/und Hn. Vaters/beyder hochlöblichen Gedächtniß/Regirung derselb in diesen unseren Landen beydes zu Wasser und zu Lande

also gebräuchlich gewesen/als können Wir uns dessen keines wegs begeben/sondern es soll ein jeder nach wie vor/vermüge der Privilegien und publicirten *Edicten* (so viel darvon in diesen *Recess* nicht geendert) unweigerlich zu entrichten und zu geben schuldig und verbunden seyn. Quem *Recessum* refert Ioach. Scheplitz in *Consuet. March. P. 4. tit. 5. §. 3. n. 3.* eundemque citat. *Limn. ad Capit. Caroli V. art. 18. voce. Willen.* Eiusdem mentio adhuc specialior iniicitur, & ius hoc altius adhuc reperitur in *Recessu Marchico de Anno 1653. d. 26. Iulii §. Zum fünff und sechzigsten.* vbi hæc verba: Als auch Unsere getreue Stände umb Abschaffung derer auf der Elbe und Oder erhöheten *Imposten*, welche sonst *Licenten* genennet werden/ unterthänigst und ganz inständig angehalten / Wir aber Ihnen dargegen die von Unsern hochlöblichen Vorfahren wolhergebrachte und sonderlich Kayser Friederich / den dritten dieses Namens An. 1456. ertheiltes *Priuilegium*, und darauff erfolgten *Machtspruch* vorzeigen lassen/so haben die Stände hiernach solch Unser Befügniß in keinen *disputat* gezogen/sondern *ic.* Totam vero hanc rem manifestam reddit atque comprobat *Limn. in Addit. ad Ius publ. lib. 5. c. 7. n. 126.* vbi tenorem ac summam huius priuilegii a Friderico III. Imperatore, an. 1456. *Electo*ribus Brandenburgicis concessi, refert: *FRIDERICVS*, Römischer Keyser/ gibt An. 1456. zu Neustadt am Freytag vor St. Jacobs Tage/Churfürst Friedrichen/Johan Albrechten / und Burggraffen zu Nürnberg und ihren Erben / diese Freyheit/das sie hinführo in ihren Churfürsten- und Fürstenthumen/der Marck zu Brandenburg/der Burggraffschafft zu Nürnberg/und ihren Landen/wo sie die haben und noch überkommen mögen/ihre Zölle/die sie daselbst haben/nach ihren Gefallen erhöhen/und in denselben ihren Landen/wo/was/und wie sie das gelüst/Zöll von neuen auffsetzen/auch auf Wein/Bier und anders/das man in ihren Landen gebraucht / und durch dieselben führet / Aufschlag / nach ihren Gefallen machen und nehmen mögen/von allermänniglich ungehindert. *Add. Perillustr. Dn. de Rhetz, Inst. Iur. P. lib.*

lib. 1. tit. 6. §. 24. & l. 1. tit. 13. §. 4. Limnæus ad Capit. Maximilianii II. ad art. 9. verb. Gar nicht gestatten. vbi simile privilegium Archiducum Austriæ adducit.

§. XX. Verum litem hic nobis non exiguam movet Jacob. Bernh. Multzius *in Repræsentat. Mai. Imp. P. 2. cap. 16. §. 4. n. 146.* vbi, vel derogatum esse hisce privilegiis per *Recess. Imp. Ratisb. de Anno 1526. §. Weiter sind wir auch* 118. putat, quoniam ibi indistincte Imperatoris & Electorum consensus in futurum requiritur, & ita videri subscribentes privilegio suo renunciasse: vel tamen ab iis non instituenda esse vectigalia, nisi requisito prius Imperatore existimat, cum huiusmodi iura non aliter intelligi possint, quam saluo dominio supremo Imp. & imperii. Sed enimvero tanti hæc nondum sunt, vt nostram sententiam infringant. Quod enim primum attinet, manifesti iuris est, legem priorem specialem per posteriorem generalem non tolli, sed hanc ex priori distinctionem ac interpretationem recipere. *L. 26. §. 28. ff. de LL. Octau. Cacheran. Decis. Pedemont. 167. n. 17. seqq. Bertazzol. l. 1. cons. 93. n. 7.* aliique ab his citati. Ast in dicto Recessu istius privilegii, plane non fit mentio: Igitur nulla ratione id ipsum tollit. Neque adversatur, quod per subscriptionem status suo iuri renunciasse videantur; nam cum Recessus ipse nihil eorum beneficiis præiudicet, nec subscriptione sua ea remisisse censi possunt. Accedit quod a Doctoribus ad vnum omnibus pro generali regula tradatur, non præsumi factam renunciationem iurium, sed probandam eam esse, & quidem euidenter, ac per probationes artiores, vt scribit *Cephalus Vol. 4. cons. 605. n. 2. Add. Decian. Vol. 3. cons. 100. n. 24. Crauetta Vol. 1. cons. 200. num. 10. Menoch. de Præsumpt. l. 3. pres. 45. n. 11. & l. 6. presunt. 41. n. 1.*

Ista

ista vero probatio hic plane erit impossibilis, contrarium potius, non subscripsisse Electorem Brandenburgicum animo renunciandi suo beneficio, apparet, partim ex Reuersu, partim ex Recessu, præcedenti §. a me adducto. De altero ut nunc pauca adiiciam, res videtur ridicula, posse Electorem Brandenb. & Archiducem Austriæ pro lubitu instituere vectigalia, & tamen debere eos prius Imperatoris atque imperii consensum expetere. Quanta contradictio? Deinde nego huius sententiæ fundamentum, nec enim Imperator in iuribus superioritatis directum dominium prætere posse, illa enim iura plene a Principibus Imperii possidentur, uti cap. II. contra iterum probavi. Imo quamuis & hoc largirer, non tamen exinde sequitur, E. exerceri ista iura nequeunt, quam prævio Imperatoris consensu: Miserrima profecto Principum conditio esset. Et tandem quis feudistarum vnquam statuit, vasallo quotiescunque uti iuribus sibi concessis vult, consensum prius domini impetrare oportere.

§. XXI. Neque vltius obiici potest, quod illud priuilegium ad prouincias Electorales forte & quas tum possidebat, sit restrictum; verba enim satis clara sunt, und ihren Landen/wo sie die haben/und noch überkommen mögen/ neque huc pertinet, quod priuilegia maxime in rebus tam odiosis, prout sunt vectigalia, stricte interpretanda, & tum quidem eo magis, quando contrariæ Leges reperiuntur: Nam de interpretatione quid opus est, ut laboremus, vbi clara sunt atque perspicua verba; siquidem & in *Capitul. Leop.* ipsa hæc specialia priuilegia excepta atque confirmata sunt. Ita enim habent verba *citati artic. 21.* Doch soll denjenigen Privilegien/welche Churfürsten/Fürsten und Ständen des Reichs/samt

samt der gefreyeten Reichs Ritterschafft/von weyland denen vor-
 gewesenenen Römischen Königen oder Käyfern/zur Zeit da der Chur-
 fürstl. *Consens per pacta & Capitulationes* noch nicht also eingefüh-
 ret oder nöthig gewesen/rechtmehig erlanget/oder sonsten ruhiglich
 hergebracht/hiedurch nichts *preiudicaret* noch genommen/sondern
 von uns auf gebührendes Ansuchen/vermöge und in Krafft des ob-
 gesetzten dritten Artikels/*confirmiret*/und die Stände dabey ohne
 Eintrag männiglichs gelassen werden. *Quibus verbis quin*
ad hocce etiam priuilegium Brandenburgicum respi-
xerit Imperator, dubitari non debet. Imo etsi ista clau-
sula adiecta non fuisset, saluum nihilominus id priuile-
gium mansisset, cum iura, semel alicui ex Statibus legi-
time quæsitæ, auferri postmodum ipsis inuitis neque-
ant. Illa enim priuilegia, quæ alicui per modum con-
tractus concessa, a nullo successore reuocari possunt, Ca-
spar. Klockius de Contrib. c. 16. n. 177. Crauetta vol. 3. consil.
455. n. 11. Menoch. Cons. 8. n. 12.

§. XXII. Oportet nunc vt videamus de casu, vbi
 quis in territorio vicini cataractam exstruit, de quo di-
 ximus supra Cap. III. §. XIV. quis hic capiet vectigal?
 Indistincte id ipsum ad exstruentem pertinet, quate-
 nus imponitur in compensationem sumptuum facto-
 rum faciendorumue. Vicinus E. si nihil impenderit,
 nihil etiam prætere de vectigali potest, sed conten-
 tus debet esse, si ipsi interesse verum resarciatur.
 Quod si itaque ipse propriis sumptibus exstruat cata-
 ractam, quod ei permissum esse, eodem loco diximus, tum
 & ipse solus capiet lucrum ex cataractis redactum.

§. XXIII. Quisquis tamen ille sit, qui vectigal per-
 cipit, is etiam sui officii memor esse tenetur, atque cu-
 rare, vt in statu integro conseruentur cataractæ, ac da-
 mnum aliis, aut a flumine, aut alias vitio cataractarum,
 datum resarciatur; quo referri potest constitutio Fride-
 rici

rici II. Imp. de *anno 1236. cap. 4. n. 3.* apud Goldast. *Constit. Imp. P. 2. t. 1. p. 82. ibi:* Alle die Zölle nement / uff Wasser oder uf den Lande / die sollen den Wegen und Brücken ihr Recht halten mit Machen und Besserung. Und von den sy den Zölle nement / sollen sy befrieden / beleyten / nach yr Macht / als ferne yre Gewalt geet / daß sy nichts verliessen. Wer dis Geboth zu dreyenmalen bricht / wird es bezeuget vor Gerichte / als recht ist / der Zölle sollen den Reiche ledig seyn. Goldast. *Reichs-Satz. 2. p. 19.* vbi a successoribus constitutionem repetitam esse traditur. Imo si etiam damnum aliquod ab ipsis nauigantibus vicino datum sit, cum ei occasionem dederint cataraetæ, pariter illud reparandum esse, videtur. Nam vicino, vt supra tradidimus, fluminum vsus innoxius esse debet.

§. XXIV. Sed propterea etiam vectigal a nauigantibus percipit Princeps, qui cataraetas exstruxit, vt secure nauigare liceat; eo igitur dirigere consilia debet, vt nauigantes plenissima comitetur securitas, quamdiu sc. flumen ipsius territorium transit, nam si a vicino, dum eius partem præternauigant, iniuria adficiantur, ipsi mouere litem tenentur. Sed diceres, ita etiam furtum a Principe refarciendum esse, quod tamen durum videtur: Verum huic repono, furem non violare securitatem publicam, ab eo enim quilibet sibi cavere potest, saltem diligentia exactissima. Illud E. damnum quod maiori vi, quam cui resisti a priuato possit, datum est, restituet Princeps; quorsum & rapina pertinet. Quamuis enim raptor forte abierit, ita vt per reparationem damni Princeps non leue incommodum sentiat; id tamen æquo animo ferre debet, cum & immodicum lucrum ipsi non denegetur. vid. Henr. Klock. *de Iure vectig. th. 77. n. 6.* Mynsing. *C. 2. obs. 70.* Iac. Bernh. Multz

Multz. *de Reprasent. Mai. Imp. P. 2. c. 16. §. 1. n. 10. & seq.* Nam ista generalis Dd. conclusio est, quod, si Princeps a transeunte mercatore pensionem quandam aut tributum accipiat, tum damnum per deprædationem datum resarcire teneatur. Hinc iure Saxonico constitutum; *Wenn einer Zoll nimmt/ der soll einen für Schaden bezahlen/ oder soll ihm den Schaden gelten. LandR. lib. 2. art. 27.* Iacobin. *de S. Georg in verb. queritur etiam, num. 4.* Cæpolla *de S. R. P. Cap. de Via, qu. 35.* Zasius ap. Kirchoff. *Conf. 9.* Id quod non modo eousque ampliant, ut valeat, etiam si pretium pro saluo conductu nullum constitutum fuerit, Sixtin. *de Regal. lib. 2. c. 2. n. 35.* Maul. *de Iure conduc. tit. 7. num. 1. & 7.* sed & eo casu, quo nec concessit saluum conductum Princeps, nec specialiter aliquid eo nomine accipit, idem pronuntiandum esse, haud pauci statuunt. Maul. *d. t. 7. n. 5.* Rosenth. *de feud. cap. 5. concl. 12.* Klock. *de Aerariol. 2. c. 76. n. 4.* Fritsch. *de Via publ. c. 12. n. 73.* Gail. *lib. 2. obs. 64.* quamuis fatear, praxin non ubiq; cum hac Dd. sententia conspirare. Quod enim olim pro conductu dominis territoriorum titulo oneroso præstabatur, hoc hodie iure superioritatis & sic titulo lucratiuo percipiunt.

§. XXV. Tandem Princeps quantum in se est, curare debet, ne exactores vectigalium rigide nimium a nauigantibus debitum vectigal exposcant & vel modo iniuria pleno id ipsum extorqueant, vel etiam plus, quam ab ipso Principe desideratur, exigant. Solet enim hoc hominum genus sibi aliisque persuadere, omnia licere, vnde etiam autoritate Principis maximo, pere interdum abuti sueuerunt, quasi non posset vectigal placide & absque iniuria exigi. Morem hunc eorum eleganter depingit Scriptor Italus limatissimus

Francisco Fulvio Fragoni, in opere suo, haud mediocri iudicio ac eruditione referto, cuius titulus est: *Del Cane di Diogene*, in quo & virtutes & vitia plerorumque Statuum accurate ac solide ostendit. Is vero, nei secondi latrati, chiamati: *la Bibliotheca dell' Atico ed Atene esplorata*, racconto. V. pag. m. 371. hæc verba habet: *Quando pervenni, tre giorni sono, in Atene, osservai rigidissimi Gabellieri, che a guisa d' Argi occhiutissimi, non lasciavano di mira, non sol le mercantie che s'introducevano, il che ha del congruo, ma anche investigavano ogni picciol fardello: Cio ne meno era il tutto, anche ricercavano addosso il passeggiere, con tal severa inquisitione, che certo pareano piu esploratori del sesso, ch'effattori del Datio. Vbi hoc argumentum prolixius persequitur. Confer. Latrato III. racconto VI. p. 233. Vbi vocantur, Effattori torvi del diritto, publicani al nome, Farisei di fatto, Impostori degli Imposti, cavillatori del calumnie &c. sed recte idem ante citato loco Latr. II. Racconto V. p. 373. excusando Principem, qui exactores vectigali præposuit, ita concludit: *Il Principe non sa l'estorsione che da quelli suffrono viaggianti, che non è credibile quando il sapesse, che non ne moderasse la rapacità, e non ne punisse la protervia. Addant, quibus hæc non sufficiunt, Latrat. VI. Raccont, XI. p. 222. & seqq.**

C A P U T V.

De

IVRIBVS OCCASIONE CATARACTARVM COMPETENTIBVS.

CONSPECTVS.

Connexio. §. 1. Actio negatoria pro extruendis cataractis competit. §. 2. ut & remedia possessoria §. 3. & 4. itemque actio

Etio iniuriarum §. 5. Ius exstruendi cataractas per priuilegium priuatis concedi potest, quod exemplo declaratur. §. 6. De iurisdictione in cataractas, cui competat? §. 7. & 8. In quos se illa iurisdictione extendat? §. 9. De vindicta delictorum durante exstructione commissorum. §. 10. De pœna violantium cataractas §. 11. De vectigali inde exigendo. §. 12.

§ I.

Dictum sufficienter est, pro instituti ratione, tam quo iure exstruere cataractas liceat, quam quomodo obuiam eundem sit difficultatibus, quæ hic communiter neçti solent: tandem & quis præstare sumptus debeat, ac vnde peti possint, vidimus. Sed supersunt adhuc quædam iura, quæ occasione cataractarum, vel exstruendarum vel exstructarum, competunt: de his videndum adhuc, antequam filum abrumpamus.

§. II. Et quidem ratione cataractarum exstruendarum, competunt actiones, pro tuendo iure exstruendi. Quodsi itaque aliquis prohibeat, quo minus alter in suo territorio cataractam exstruat, is actione negatoria contra prohibentem experiri, eumque adigere potest, vt liberam sibi facultatem disponendi de suo relinquat. Quamuis enim proprie actio confessoria & negatoria tantum in seruitutibus locum habeat §. 2. *Inst. de Action. & tot. tit. ff. si seruit. vindicet.* Interpretatione tamen Doctorum extensæ sunt illæ actiones & omnibus cæteris iuribus accommodatæ, *Struv. Synt. I Ciu. Exerc. 13. th. 53. Bachou. de Actionibus Disp. 2. th. 23.* vnde ingentem catalogum illorum iurium, pro quibus hæ actiones competunt; exhibet celeberrimus Dn. Schwendendörff. *in Action. forens. Exposit. special. Sect. 2. per tot.* Vt autem constare possit, quibus casibus

confessoria, quibus negatoria, locum habeat, eo semper respiciendum est, an quis singulare aliquod ius, vel privilegium prætendat, & tum confessoria experiri debet: si vero in iure communi & naturali facultate ac libertate fundamentum quærat, negatoria actio instituenda erit, Oldendorp. *de Action. Class. 3. act. 4.* Nostro itaque casu, cum demonstratum superius abunde sit, vi naturalis facultatis competere cuilibet potestatem ædificandi in suo pro lubitu, vltro consequitur, ædificare volentem cataractas, contra alium, qui ius prohibendi sibi vindicat, actionem negatoriam instituere, posse. Vbi alter probabit sibi ius prohibendi competere: ea enim est conditio actionis negatoriae, vt de uoluationis onus probandi in aduersarium, partim, quia negatiuæ per rerum naturam nulla est probatio. *L. Adseueratio. 10. C. de non num. pec.* sed ea affirmanti incumbit *l. 23. C. de Probat.* partim, quia pro actore militat præsumptio iuris, quæ pro libertate naturali est, *L. 8. § 9. C. de Seruit.* illa vero præsumptio a probando liberat. *Carpozov. L. 1. Resp. 67. § 68. P. 2. C. 41. def. 18. Richt. Dec. 18. n. 63. Hippol. de Marfil. sing. 451. num. 1. Alciat. de præsumpt. reg. 3. præf. 1. n. 4. Cephal. cons. 304. n. 217.*

§. III. Præter ordinaria vero iuris remedia, possessoria etiam interdicta institui possunt; vim enim facit, inquit Pomponius in *L. 11. ff. de vi & vi arm.* qui non finit possidentem, eo, quod possidebit, vti arbitrio suo, siue inferendo, siue fodiendo, siue arando, siue ædificando, siue quid omnino faciendo, per quod liberam possessionem aduersarii non relinquit. Cum itaque & ius extruendi cataractas, ex libera facultate re mea vten- di descendat, idem sine dubio hic obtinebit. Sed an hic locum habere possit interdictum vnde vi, maior dubitatio

tatio est? Hotomannus id affirmaret, utpote qui turbatiuam vim quoque eo interdicto vindicari, asserit *L. 7. obs. 6.* idque ob legem citatam vndecimam. Sed rectius cum Donello *Comment. l. 15. c. 32.* credimus, alieniore loco hanc legem ibi positam esse, cum hoc interdictum saltem de vi expulsiua agat, uti id ex *l. 1. pr. §. 1. ff. d. t.* sufficienter patescit. Hinc meliori iuri Vlpianus interdictum uti possidetis locum habere asserit, si quis ædificare in suo prohibeatur, addita ratione: *etenim videris mihi possessionis controuersiam facere, qui prohibes me uti mea possessione. L. 3. §. 2. ff. Vti poss.* Ex quo simul illud obseruo, sufficere ad ius ædificandi solam possessionem: ut ita non dubitem, posse Principem cataractas exstruere, quamuis non manifesto dominium fluminis docere possit; sed sufficiet, si modo in possessione fluminis constitutus sit.

§. IV. Quod si alter plane vi impediatur exstruere cataractas, hanc sufficientem belli causam existimamus; id enim expeditum est, non modo naturæ & gentium iure, sed & ciuilibus sanctionibus, licere cuius possessionem suam armis defendere. Nam ad iura necessariae defensionis id ipsum referendum, hinc Dioclet. & Max. Impp. in *L. 1. C. unde vi.* illum, qui ad defendendam possessionem, alterum vi propulsat, moderamine inculpatae tutelæ uti posse, constituerunt.

§. V. Tandem & iniuriarum actio contra illum competit, qui prohibet, quo minus quis cataractas in suo territorio exstruat; Est enim iniuria, si alter me impediatur, quo minus iure mihi competente uti liceat, cum illi nullum ius prohibendi competat. Inde generaliter voluerunt iura, ut is iniuriarum teneatur, qui vel publica re, vel propria etiam, alterum uti non permittit *L. 13. §. 7. §. l. 24. ff. de iniur. L. 25. ff. de Action. Empt.*

Eadem

Eadem locum habebit actio, si vicinus non patiatur in sua parte fluminis vicinum nauigare: modo illa nauigatio innoxia sit, & nullum alteri præiudicium adferat.

§. VI. Porro ratione cataractarum exstruendarum illud ius competit Principi, vt non ipse præcise exstruere eas teneatur, sed & aliis per modum priuilegii hoc concedere possit. Quamuis enim supra deduximus, ex iure superioritatis hoc ius oriri, quod priuatis cedi nequit, quod autem de causa dicitur, etiam de effectu eius pronuntiandum: Interim tamen, solua superioritate territoriali, quædam ejus iura in priuatos conferri posse, praxi imperii manifestum redditur, modo talia sint, quæ ab iis possideri & exerceri possunt. Quorsum omnino ius exstruendi cataractas referimus, nam parum intererit, siue a Principe ipso, siue, ex eius concessione, a subdito, id exerceatur; modo is non absque expressa concessione hoc ius prætendat, de quo casu supra Capite II. §. XXIX. tantum egimus. Et hanc sententiam nostram vsus antiquior approbavit; Ita Administrator Magdeburgensis, Ioachimus Fridericus, Marchio, & postmodum Elector Brandenburgicus, gloriose memoriæ anno 1568. quibusdam priuatis priuilegium ad 20. annos instituendi in Sala nauigationem concessit. Gothofr. Olearius *in Halygraphia Topo-Chronol.* p. 245. *in fin.* Vbi sine dubio simul ipsis ius exstruendi cataractas concessum fuit, sine quibus institui nauigationes in Sala non potuerunt. *arg. l. 2. ff. de iurisdict.* Imo recentior exemplum habemus hoc ipso seculo, vbi anno 1650. die Bartholomæi, ab vltimo Administratore Magdeb. Diuo AVGVSTO, cum consensu Capituli, priuilegium exstruendi in Sala cataractas concessum est Georgio Wilduogelio & Io. Henrico Gaur; cuius priuilegii tenor hic est:

Non

Von Gottes Gnaden Wir Augustus / postulierter Administrator
des Primats und Erzbisthums Magdeburg / Herzog zu Sachsen / Jü-
lich / Cleve und Berg / 2c. 2c. 2c. hiermit thun kund / daß uns Unser
bestallter Kammer-Secretarius und lieber getreuer / George Wild-
vogel / und Hans Heinrich Saw / Handelsmann zu Pyrna / in Un-
terthänigkeit zu erkennen gegeben / was massen sie entschlossen / den
Saal-Ström auf ihre eigene Kosten und Gefahr also zuzurich-
ten / daß man von der Elbe an / bis nach Siebichenstein / mit ziemli-
chen Schiffen fahren und fortkommen solte / darbey gehorsamlich
gebeten / weil dergleichen zu Werck zu richten / auch Schiffe und an-
dere benöthigte Sachen zur hand zu schaffen / ein ansehnliches geste-
hen würde / Wir wolten ihnen / als den Erfindern / zur Ergölichkeit
darüber ein Privilegium und Befreyung zu ertheilen gnädigst geru-
hen ; Nun ist Uns bekant / daß dergleichen vormahls zwart ange-
fangen / niemahls aber zum gewünschten Ende gebracht worden /
Wann Wir dann bedencken / was grosser Nutz und Vor-
theil Unseren und benachbarten Landen durch derglei-
chen Schiffarth zu wachsen kan / So haben Wir dahero
umb so viel destomehr ihren unterthänigsten Suchen statt zu ge-
ben / Ursach befunden / geben und verleihen darauff erwehnten Un-
serm Kammer-Secretario, sowol ihme Hans Heinrich Sawen / und
deren Erben / diese Freyheit / daß sie von der Zeit an / wann sie das
Werck zum Stande gebracht / sich der Schiffart uff dem Saal-
Strome / so weit sich Unser Gebieth erstrecket / uff zehen Jahr lang
allein für sich gebrauchen / und ihnen niemands darinnen einigen
Eintrag thun / noch des schiffens uff- und abwärts / auff wasserley
Weise es auch möchte vorgenommen werden / bey Verlust der
Schiffe / und aller darauf befindlichen Sachen / davon die Helffte
Uns / die andere Helffte aber denen Interessenten zukommt / sich un-
terfangen / bemelter unser Kammer-Secretarius und Hans Hein-
rich Saw / sowol deren Erben aber / einem oder dem andern / von Ge-
treydicht und anderen Wahren / so viel wegen vorhandener Schif-
fe / zu befördern möglich / umb billiche Fracht fortschaffen / darbey
Wir ausdrücklich vorbehalten / daß durch Anrichtung dieser Schif-
fart / denen in und an der Saal liegenden Lämmen / Werdern / und

Mühlen kein Schaden und Nachtheil zugezogen werden/auch die gewöhnlichen Zölle und Geleite jederer Orthen in Unsern Erbstift entrichtet werden sollen. Gebieten darauff allen und jeden Unsern Prälaten/ Graffen=Herren/denen von der Ritterschafft/und Adel/Haupt=Umbt=und Geleits=Leuten/Räthen in Städten/Richtern/Voigten/Schultheissen/Gemeinden/und sonst allen Unseren Untertanen/mehr erwehnten Unsern Kämmer=Secretarium und Hans Heinrich Sawen /bey diesem Unsern ertheilten Privilegio die verwilligten zehen Jahr über zu schützen und zu handhaben/und da jemand demselben zuwider handeln/ und sie umb dessen execution angelanget würden/unweigerlich zu wercke zu richten. Hieran beschicht Unser zuverlässiger Will und Meynung/Urkundlich haben Wir dieses Privilegium mit eigenen Händen unterschreiben/und Unser groß Insiegel wissentlich daran hangen lassen/so geschehen und geben in Unserer Residenz=Stat Hall / am Tage Bartholomai des 165osten Jahres.

Vbi nec euentus defuit, exstructis enim cataractis Salanauigabilis reddita est, ita vt sal & frumentum Hala Dresdam vsque nauibus vectum fuerit, vti id factum esse anno 1651. i. Maii & anno 1653. itidem mense Maio refert Gothofr. Olearius in *Halygraphia Topo - Chronologica* pag. 445. & 453. quanquam istæ nauigationes vltra quinquennium non durauerint; cum enim cataractæ, tanto apparatu non exstructæ, vt vim aquæ repellere possent, destruendæ & fossæ ductæ terra iterum implendæ fuerunt.

§. VII. Exstructis iam cataractis, Principi in illis competit iurisdictio. Sed distinguendi casus sunt: si enim cataracta in ipso flumine exstructa, quod raro accidit, vti supra diximus, tum illi iurisdictio competit, cuius flumen est. Si flumen duobus commune sit, alii dicunt iurisdictionem vtrique pro indiuiso competere, Paul. de Castro *Vol. 9, cons. 311. & 350.* quod exemplo

plo fluminis Yndriæ comprobat Iean Saison *dans les coutumes de Tours tit. 25. article 4. p. 158.* Alii, cuilibet vsq; ad medium fluminis iurisdictionem competere, asserunt. Hieron. de Monte *de fin. reg. c. 24. n. 9.* Georg. Morde Nigro Monte *Tr. de Iure venandi, aucupandi & piscandi c. 7. n. 8.* vid. supra Cap. III. §. XV. Sed res salua est, quicquid enim difficultatis suboriri posset circa iurisdictionem ipsius fluminis, quod duobus commune est, id ipsum in cataractis cessabit; Ita vt tuto dici possit, ei, qui exstruxit cataractas, etiam iurisdictionem in iisdem competere. Intellego tamen illam exstructionem, quam quis suo iure suscipit, seu vi superioritatis territorialis, alia ratio est, si quis alieno beneficio seu ex superioris permissione cataractas exstruat, quale exemplum in §. præced. adductū, vbi iurisdictione sine dubio remanet apud Principem, & sola utilitas per privilegia translata videtur: nec obesse poterit vulgatum illud, beneficia Principum latisime interpretanda esse. *L. 3. ff. de Constit. Princip.* Non enim ea propter ultra suos terminos, ad iura plane diuersa, extensio facienda est, nam cui vsus cataractarum concessus, ille necessario iurisdictione opus non habet, hinc nec tacite a Principe illa censetur indulta; quod hodie eo euidentius esse censeo, vbi etiam, quando in inuestituris feudorum iurisdictionis mentio non facta, illa ad vasallum non transit.

§. VIII. Si vero cataracta in separato canali exstructa, quod plerumque accidit, cuius tunc iurisdictione sit, magis videtur dubium esse? Pro decisione quæstionis distinguendi casus sunt; aut enim Princeps canallem per proprium fundum ducit, aut per alienum; illo modo dubium non est, Principis esse iurisdictionem,

P 2

vtpote

utpote quam iam antea in illo loco habebat: hoc vero, distinguendum rursus, an canalis ducatur per fundum priuati, nulla iurisdictione instructi, an per fundum cuiusdam ciuitatis aut Nobilis, iurisdictione in illo loco per inuestituram quæsitæ gaudentis, an denique per fundum vicini Principis, de quo egimus Cap. III. §. XIV. *Primo casu*, priuato nihil iuris competere potest, sed iurisdictione aut fuit antea Principis, vbi res salva, aut alii concessa, vbi idem iuris quod in casu sequenti. *Secundo casu* certum, quod Princeps iurisdictionem nobili vel ciuitati semel legitime in suis prædiis concessam, ita temere reuocare, ac contra proprium factum venire non possit, præsertim cum iurisdictione hodie patrimonialis sit, hinc cum eam, feudali nexu teneat vasallus, turbari a feudi domino non debet: Priuatiue enim, vel, quod rectius dicitur, subordinate, non communicatiue iurisdictione a Principe vasallo concessa, vt inde quamdiu hic fungitur officio iudicis secundum præscripta LL., superioris iurisdictione omnino cesset. Sed cum via publica & illis cohærens iurisdictione ad regalia pertineat, adeo; vt vasallus cum omnimoda iurisdictione in suo prædio inuestitus, illam tamen non habeat in via publica; Regner. Sixtin. *de Regal. l. 2. c. 2.* Zanger. *de Except. p. 2. c. 1. n. 241.* ita idem de flumine fluminisq; parte, vbi per canalem mediantibus cataractis aqua fluminis deriuatur, dicendum erit, hanc esse instar viæ publicæ, in quâ Princeps sibi reseruasse iurisdictionem præsumitur. Aliud E. dicendum, si in specie cum iurisdictione in flumine fuerit inuestitus vasallus, prout etiam illa exceptio in viis publicis locum habet. *Tertio casu* puto, non Principi exstruenti cataractam, sed vicino in
cuius

cuius territorio exstruitur iurisdictionem competere; quamuis enim ad Principem exstruentem omnis usus & commoditas cataractæ pertineat, non tamen ea propter mox iurisdictionem sibi vindicare potest. Princeps enim vicinus cataractæ exstructionem alteri ex ciuilitate concedens, non ea propter superioritati suæ & exercitio iurisdictionis, antea in illo loco competentis, præiudicium intulisse censetur. Et vti antea dictum, cataractarum commoda abunde percipi possunt, etiam si alter in illo loco iurisdictionem habeat.

§. IX. Competit autem illa iurdictio primo in ministros, qui ad exercendas cataractas atque custodiendas constituti, hi enim accessorium sunt cataractarum, hinc cum principale sit sub iurisdictione Principis idem de accessorio dicendum; quicquid enim de illo dicitur, de hoc etiam asserendum *Cap. 42. de Reg. Iur. in 6. Steph. Gratian. discept. for. cap. 282. n. 3. Ant. Monach. Dec. 27. n. 4.* Deinde in ipsos etiam, qui nauibus transeunt cataractas, si quid delinquant dum transeunt, iurdictio competit. Nam & hi habendi sunt pro subditis temporariis: Quapropter si peregrinum in suo territorio delinquentem punire Princeps potest, cur etiam non possit, si in flumine, aut per cataractam, transiens, delinquat? Eadem enim ratio, eandem etiam operari debet decisionem.

§. X. Illud nondum expediti iuris esse videtur, quid dicendum, si eo tempore, dum exstruitur adhuc cataracta, aliquis ex operariis delictum committat, maxime, si non in ipso loco, in quo exstruitur cataracta, sed in ea terræ parte, quæ postea ripam constituere debet, id contingat, cui hic competet iurdictio? Dicendum videtur illi, qui alias in isto loco iurdicti-

onem habet. Cum eum cataractæ adhuc in fieri sint, idem ius, quod de cataractis perfectis asseritur, hic sibi locum vindicare non poterit. Verum cum Princeps locum illum, per quem mediantibus cataractis derivanda sit aqua, iam tum occupaverit, publicisque vsibus destinaverit, eodem iure censebitur, quam si opus ipsum iam perfectum esset: quod E. antea de iurisdictione circa ipsas cataractas dictum, huc quoque applicandum erit; in specie autem quod operarios attinet, qui ad hoc opus perficiendum a Principe adhibentur, illos speciali iure Principis iurisdictioni subesse censeo, quod ministerio Principis semel se mancipaverint; quamvis enim hi operam suam tantum locauerint, locatio autem per se iurisdictionem tribuere nequeat; attamen diversa ratio est, si Princeps certos homines pro mercede negotiis suis applicet, hi enim quamdiu operas locarunt, sine dubio coram Principe forum sortientur. Si enim non tantum ministri Principum, a iurisdictione iudicis ordinarii exempti, Mylerus ab Ehrenbach *Hyparchol. c. 9. §. 1.* sed horum quoque famuli, qui in ministrorum seruitio sunt, eadem exemptione fori gaudent *L. 12. pr. C. de Prox. Sacr. Scrin. Petr. de Murga de benefic. Eccl. qu. 10. Sect. 1. n. 22. Steph. Gratian. Discept. Forens. cap. 341. n. 9.* qui tamen famuli pariter conducti tantum sunt, quis eandem exemptionem denegaret operariis a Principe conductis? Interim vero, cum Princeps tantum in personas horum operariorum iurisdictionem habeat, & delictum forte in loco cataractis vicino commissum, in quo alius hanc vi inuestituræ exercet, probabilem existimo sententiam mediam, quæ concursum iurisdictionis hic admittit; præsertim si capitale aliquod delictum commissum sit: vt hinc præventio

tio

tio sibi locum vindicet, & ille potior sit, qui delinquentem apprehendit. Confer. *Besold. Cons. 17. num. 12. seqq.* Add. Caspar Leipold *de Concurrentia Iurisdictionis in Imp. Rom. quest. 14.*

§. XI. Fluit ex hac iurisdictione, quam Principi in cataractas adscribimus, ius coercendi poenis violatores cataractarum. Quæ poena exasperari potest, pro modo imminentis periculi, & cessantis commodi publici. Omnino enim gravissima damna inferri possent vicinis, si rumperentur & destruerentur cataractæ, cum ita flumen, velut laxato freno, in vicina prædia rueret, id quod multum incommodi crearet incolis: maxime si id fieret in terris maritimis, vbi cataractis ex parte Oceanus sistitur, de quo *Cap. I. in fine egimus.* Quæ ratio est, quare violatores aggerum, non modo iure ciuili, sed & multorum locorum moribus, tam graviter puniti fuerint. Ita iure ciuili viui comburebantur *L. vn. C. de Nili agg. non rump.* Et, quod in patria sua viui defodi soleant, testatur *Perez in d. tit. Cod. num. 3.* Secundum *Omlandorum* in Belgio leges, suffocantur, eodem quem perforarunt loco, referente *Anth. Matth. de Crim. tit. 5. de Extraord. crim. c. 3. n. 3.* quæ seueræ poenæ, quamuis hodie plerumque cessent, interim tamen adhuc, in locis præsertim maritimis, vltimum supplicium locum habere posse, *Dd. statuunt. Damhoud Pr. Crim. cap. 107. Colerus Dec. 171. Christinæus Vol. 4. Dec. 203. n. 7. Menoch. cas. 386.* Proinde, si tam eximium ex ruptura cataractarum daretur damnum, non dubito, violatores, pro ratione circumstantiarum morte etiam puniri posse. Sed & interceptio tam insignium commodorum publicorum, quæ ex cataractis oriuntur, sat causæ est, vt maximis poenis adficientur violatores.

§. XII.

§. XII. Occasione cataractarum iam exstructarum, etiam competit ius exigendi vectigal, sed cum de eo iam actum sit cap. IV. hic nihil addere necessum est. Vnicum saltem, coronidis loco, adhuc subiiciam, ex quo æquitas vectigalis, hoc nomino exigendi elucescit, & simul inuidia, quæ nouas has Salæ cataractas premit, euanescit. Est hoc certus articulus propositionis comitiorum provincialium Archi-Episcopatus Magdeburgici Calbæ celebratorum Anno 1564. Cuius concepta verba ita se habent: So haben auch Sr. Fürstl. Gnaden nicht eine geringe Summa Geldes (1200. Thlr.) an Eröffnung der Wasser und Erbauung der Schleusen angewandt/alles dem Erbstifft und Unterthanen zum besten/und zu Fortsetzung aller ihrer Nahrung/wie denn aus ihrer Gelegenheit kan erfolgen/weil die Keyserl. Majest. deshalb etliche mahl an Sr. Fürstl. Gnaden und andere Chur- und Fürsten begehret/ an nichts erwinden zu lassen/ solche und dergleichen Gebäude auf den Wasserströmen anzurichten/damit also die anstossende Lande daraus gebessert/wie dann kein Zweifel ist/ da man ihn wird nachsehen/das nicht ein geringer Zuwachß allen diesen Landen erfolgen möchte. Ex quibus verbis euidenter apparet, vtilitatem harum cataractarum per vicinas prouincias se diffundere, & hinc Imperatoris aliorumque Electorum desiderio has dudum expetitas fuisse. Vnde nulla ratio superest, quare laudatissimum hoc opus a Serenissimo Electore Brandenburgico tantis sumptibus iam consummatum, quasi non iure factum, in controuersiam vocari debeat. Nos potius iterum iterumque tanto Principi de Augusto hoc opere gratulamur, & vt tot prouinciarum subditis protegendis, eorumque commodis promouendis, in feram vsque ætatem supersit, Deum præstolamur!

SOLI DEO GLORIA.



02 H 536


ULB Halle 3
003 094 480



V017







B. V. 60 4275 G.

O IVRIDICA

CATA-

ARVM,

Recht

FICIENTISSIMO,
 TIPE AC DOMINO,

WILHELMO,
 ENB. HEREDE, &c. &c.
 I D E

LE STRYKIO,
 re Publ. Ordinario
 l. Adessore,
 ERICIANA,
 . M DC XCVI.
 quitioni submittit.

IAN. MICHAELIS
 fatus.

R. ZEITLERI, Acad. Typogr.